DE PROFECTIONE

ALEXANDRI

HIEROSOLYMA

DISSERTATIO.

Digitized by Google

Digitized by Google

CASTI INNOCENTIS ANSALDI

ORDINIS PRÆDICATORUM

REGII PROFESSORIS EMERITI

DE PROFECTIONE

ALEXANDRI

HIEROSOLYMA

DISSERTATIO



BIBLIOTECA NAZIONALE DI NAPOLI

TAURINI MDCCLXXX.

TYPIS FRANCISCI ANTONII MAIRESSE.

Digitized by Google

Digitized by Google

EMINENTISSIMO DOMINO DOMINO

CAROLO JOSEPHO FILIPPA

E MARTINIANA

S. R. E. CARDINALI

EPISCOPO VERCELLARUM

S. MARIÆ A CASANOVA ABBATI AC PERPETUO COMMENDATARIO

CASTUS INNOCENS ANSALDI

ORDINIS PRÆDICATORUM

Felicitatem.

ILluſtriora inter Alexandri Domitoris Aſiæ facinora ac geſta illud ſane memoratur, quo, poſt prælium ad Iſſum,

Digitized by Google

Palæſtinam Victor permeans profecturus in Ægyptum, divertit Hieroſolyma, occurentem ſibi Judæorum Pontificem cum Sacerdotibus & populo honorificentiſſime excepit, Urbem amplitudine, munitione, ac veteris fama Religionis nobiliſſimam ingreſſus, Templum adiit, victimas, recepto ritu, Supremo Numini obtulit, dona ſacræ Ædi intulit, inſpexit Divinos Hebræorum Codices, quibus Prophetica continebantur de futuris Imperiorum converſionibus Oracula, Judæorum Gentem in ſocietatem accepit, eamque ſuis vivere legibus ac moribus, atque tranquillitatem & pacem colere benigniſſime conceſſit. Harum vero mirabilem complexionem rerum, conſideratis præſertim ejus cauſis & adjunctis, fateor, PRÆSUL EMINENTISSIME, vi-

ſam ſemper fuiſſe mihi factum ingens præclarum mirificum memorandum excelſum, non tam in Macedonis gloriam, quam in honorem Religionis cedens, proindeque dolebam vehementer, illud a nonnullis in dubitationem revocari; quare de eo vindicando triginta ante annos conſilium ceperam, perfeceramque; ſed autographum Elucubrationis meæ, de qua ne veſtigium quidem apud me ſuperfuerat, dum jam jam eſſet ut ederetur, fuit infeliciter amiſſum: quod ſex demum poſt luſtra ex alienæ oblivionis tenebris ac umbris fortuito ad vitam revocatum quum recuperaſſem, de ipſo typis committendo rurſus cogitabam. Verum, ut prudentiora ſunt quæ ſerius adveniunt conſilia, animadverti quantum ejuſmodi Vindiciæ a ſplendore & a gloria diſta-

rent, qua factum fulſit Alexandri. Æmulandum itaque illum duxi diſcipulum Apellis, qui Helenam coloribus expreſſurus, quum ejus pulchritudinem formæ aſſequi non potuiſſet, imaginem auro, argentoque renidentem reddidit, ut eorum fulgore & pretio quicquid Arti defuerat ſuppleret; eum, inquam, imitandum duxi, Tibique, PRÆSUL EMINENTISSIME, addicendum, nuncupandumque hoc Opuſculum putavi, quo tui ſplendore Nominis & gloria inauratum, haud amplius a Religionis dignitate, & a pulchro Alexandri facto abeſſe videretur. Et vero, quum tam ardenti ſemper flagraveris, EMINENTISSIME PRÆSUL, ſtudio Religionis & gloriæ, aptius Elucubrationis meæ præſidium & decus numquam reperire potuiſſem; nihil

enim circum Te humile, aut demiſſum; aut vulgare, aut profanum umquam fuit, ſed ſacra, & ſancta, & ampla, & præclara, & ſplendida, & magnifica omnia ſpectata ſunt. Illuſtre Tibi Genus contigit, & cum Familiis Regni præcipuis bello paceque clariſſimis conjunctum. Nobiliores adſtant virtutes, quarum veriſſimis laudibus circumfluens, ad ſanctitatem, ad ſapientiam, ad decus & ad gloriam fuiſti perpetuo excitatus. Meminerunt omnes quanta puer, quanta adoleſcens cura & diligentia ad Eccleſiaſticas Diſciplinas, & Antiquitates ſacras incubueris: quod Divino eveniſſe intelligimus conſilio, ut ad recte inſtituendos populos, qui Tibi a Deo committendi erant, præſidia omnia ab his ſtudiis eſſent paratiſſima. Primum eorum

proventum experti ſunt Maurianenſes, quorum, non aliquo uſus ambitu, ſed una præeunte virtute ac muniente viam, Epiſcopus conſtitutus, nihil antiquius habuiſti, quam ut eos, nulla moleſtia, nullo labore recuſato, ſana in doctrina, ac in morum integritate magis magiſque confirmares: illudque unum gratulabare Tibi oblatam fuiſſe facultatem ut bene mereri poſſes de omnibus, præſertimque de iis, qui a probitate & pietate commendarentur. Ut hoc vero ad Religionem præcipue ſpectabat, ita illud ad Religionem æque & ad gloriam, quod ſacras Baſilicas, & Maurianenſium Ædes Epiſcoporum aris, ſimulacris, tabulis pictis, anathematis, donariis, marmoribus ita exornaveris, ut æterna futura ſint pietatis & magnificentiæ tuæ argu-

menta. Haud decebat vero tam auguſtas virtutes tam anguſtis limitibus includi; eumque in Ordinem eras extollendus, quem pleni Deo homines olim excogitaverunt, ut illius ſplendore majeſtatem Religionis, in qua continetur ſalus publica, augerent & amplificarent. Itaque inſignitus ſacra Purpura fuiſti, atque inter S. R. E. Cardinales cooptatus; ad quod dignitatis faſtigium & merito fuiſti tuo, & REGIS AUGUSTISSIMI *judicio (quæ ſumma laus eſt) a* PONTIFICE MAXIMO *evectus: cui haud multo poſt Vercellarum Inſulæ acceſſere, illius videlicet Eccleſiæ, cujus ſanctitatem, antiquitatem, & auctoritatem Hiſtorici veteres celebravere. Quantæ autem virtutis, quantæque gloriæ eſt, dignum habitum fuiſſe illius procuratione Gregis,*

ex quo tot Cælites, tot Martyres, tot præclariſſimi Antiſtites, tot Proceres ſpectatiſſimi, tot doctiſſimi ſemper Viri prodiere! Egregiam hanc de Te opinionem oſtenderunt Vercellenſes ea primum die, qua ſolemniter majorem in Ædem, tamquam in triumphum, Te deduxere. Quæ enim tunc fuit omnium Civium, omnis ordinis, omnis conditionis, omnis fortunæ, omnis ætatis gratulatio! Quot Oratores ac Vates, quot omnis generis Artifices ſua gloriæ, dignitatique tuæ ſtudia obtulerunt! Tanta fuit amoris & obſequii eorum erga Te ſignificatio, ut ſi ipſis nondum jam datus Paſtor Divino munere fuiſſes, renovatum noſtris diebus vidiſſemus ſacrum illud & commemorabile ſpectaculum, quod Vercellarum in Urbe contigiſſe Sanctus Ambroſius ſua

in Epiſtola poſterorum memoriæ commendavit. Quum enim Sede vacante illuc forte adventaſſet Magnus Euſebius, quem Cives neque viderant unquam, neque antea aut fama, aut de nomine cognoverant; ſimul atque primum viderunt, adeo probavere, ut frequentiſſima populi concione in unam voluntatem eum habendi Epiſcopum ſtatim conſpiraverint. Id nunc, inquam, ſi tuliſſent rerum vices, Vercellenſes iteraſſent: abſolutum adeo, & quaſi ex Annalium memoria fulget in Te, PRÆSUL EMINENTISSIME, priſcæ exemplar Majeſtatis. Iidem certe fauſtum, fortunatumque magis numquam viderunt diem. Mihi vero tantæ celebritati quum intereſſe non contigerit, ſolatii loco datum ſaltem ſit, qualemcumque hunc ſtudiorum meorum laborem Tibi,

EMINENTISSIME PRÆSUL, *offerre & conſecrare*, *ceu manifeſtum pietatis in Te meæ*, *& ſingulariſſimæ obſervantiæ argumentum: futurum ſperans*, *ut Deus Optimus Maximus*, *qui gratas ſibi preces non dedignatur*, *meas exaudiet*, *ut ad longiſſimum annorum curriculum ſoſpitem Te atque incolumem præſtet*, *Religionis præſidio*, *& Litterarum gloriæ tuis ampliſſimis auſpiciis non defuturum*.

INDEX CAPITUM.

CAPUT I.

NArratio Flavii Joſephi. Pag. 1

CAPUT II.

Quæ contra hanc narrationem objiciuntur. 5

CAPUT III.

Momenta in favorem narrationis Flavii proponuntur. 11

CAPUT IV.

Sanctorum auctoritate Patrum, ac veterum Scriptorum narratio Flavii confirmatur, atque vindicatur. 25

CAPUT V.

Cur laudatæ Profectionis Alexandri mentionem non fecerit Flavius in ſuis contra Apionem Libris. 36

CAPUT VI.

Inter narrationem Flavii ac res tunc ab Alexandro gerendas, atque geſtas eſſe maximam concordiam. 40

CAPUT VII.

De ſilentio Scriptorum Vitæ Alexandri. 50

CAPUT VIII.

De Chronologia Scriptorum Alexandri. 63

CAPUT IX.

De omiſſionibus & diſcrepantiis Scriptorum Vitæ Alexandri. 69

Digitized by Google

CAPUT X.

De Supplementis ad Scriptores Vitæ Alexandri. 82

CAPUT XI.

De Supplemento ad narrationem Flavii Joſephi. 96

CAPUT XII.

De Somnio Alexandri. 101

CAPUT XIII.

De Judæorum occurſu, Regiſque ingreſſu Hieroſolyma. 115

CAPUT XIV.

De Cultu, quem Alexander præbuit Summo Judæorum Sacerdoti. 128

CAPUT XV.

De Cultu, quem Alexander Deo obtulit in Templo Hieroſolymorum. 135

CAPUT XVI.

De Hieroſolymitano Oraculo & Jaddo. 150

CAPUT XVII.

De Profectione Alexandri ad Oraculum Hammonis. 168

CAPUT XVIII.

De ejuſmodi Vindiciarum cauſis. Epilogus Diſſertationis. 183

DE

DE PROFECTIONE ALEXANDRI HIEROSOLYMA.

CAPUT I.

Narratio Flavii Joſephi.

I. ALEXANDER Macedonum Rex, ſcribit Flavius Joſephus, in Syriam profectus capit Damaſcum, & Sidone potitus Tyrum obſidet: miſſiſque ad Judæorum Pontificem litteris, poſtulat ut ſibi auxilium mittat, exercitui commeatum ſuppeditet; & quæcumque antea Dario ſtipendia pendebantur, ei ſolvat, ac Macedonum amicitiam ſequatur: fore etenim ut ejus rei non pœniteat. Quum autem Pontifex tabellariis reſpondiſſet, Dario ſe cum jurejurando promiſiſſe, adverſus eum arma non laturum, idque nunquam, ſuperſtite Dario,

violaturum dixiſſet, his auditis, ira commotus eſt Alexander, & Tyrum quidem relinquere, quæ jam jam capienda foret, non ſtatuit, ſed minatus eſt ſe ſe, ea ſubacta, in Judæorum Pontificem exercitum moturum, ac per eum omnibus oſtenſurum, quibuſnam jusjurandum ſervare oporteret. Acrius itaque obſidionem urgens, Tyrum expugnat; & conſtitutis in ea rebus, contra Gazæorum urbem proficiſcitur, atque Gazam, ac præſidiis in ea Præfectum nomine Babenſem obſidet. Expugnata Gaza, ad Hieroſolymorum urbem aſcendere contendit; quod quum audiſſet Pontifex Jaddus in anguſtia, metuque erat, ſollicitus quonam pacto Macedonibus obviam iret, irato Rege propter ſuperiorem contumaciam: indictis propterea populo ſupplicationibus, & cum eis rem divinam Deo faciens, orat ut gentem tueri, & ab impendentibus periculis liberare velit. Quum autem nocte poſt ſacrificium obdormiret, monuit eum in ſomnis Deus ut bono eſſet animo, utque coronata urbe portas aperirent; & alii in albis veſtibus, ipſe vero cum Sacerdotibus ornatus ad præſcriptum Legis obviam irent, nihil mali ſibi metuentes, providente Deo. Excitatus igitur e ſomno, & ipſe magnopere gaudebat, & indicato cunctis eo miraculo, factiſque omnibus, quæ ei in

ſomnis

ſomnis mandata fuerant, Regis adventum præſtolabatur. Atque ubi eum non procul eſſe ab urbe intellexit, prodit una cum Sacerdotibus & civili turba, venerabili & diverſo ab aliis gentibus occurſu, in locum qui Sapha dicitur. Quumque Phœnices & Chaldæi, qui Regem ſequebantur, fore putarent ut urbem diriperent, & Pontificem excarnificarent (quæ veriſimile erat Regem præ iracundia illis permiſſurum), accidit ut res contra ſe haberent. Alexander enim procul adhuc conſpicatus multitudinem in albis veſtibus, & Sacerdotes præcedentes in byſſinis tunicis, & Pontificem in hyacinthina veſte & auro diſtincta, atque tiaram in capite gerentem, & auream in ea laminam, in qua Dei nomen inſcriptum erat, ſolus acceſſit, ac Dei nomen veneratus eſt, priorque Pontificem ſalutavit. Judæis autem omnibus una voce Alexandrum ſalutantibus, & in orbem cingentibus, Reges quidem Syriæ reliquique obſtupuerunt, & Alexandrum mentis impotem tum eſſe ſuſpicati ſunt: Parmenione autem ſolo eum aggreſſo, & percontato, quî factum ſit, ut omnibus eum adorantibus, ipſe Judæorum Pontificem adorarit? *Non hunc*, reſpondit, *adoravi, ſed Deum illum, cujus hic ſummo Sacerdotio decoratus eſt. Hunc enim ſecundum quietem vidi in hoc habitu quum eſſem in Dio in Macedonia*

cedonia; ac cogitantem me apud meipſum quonam pacto potiri poſſem Aſia, hortatus eſt ne cunctarer, ſed confidenter trajicerem, ſe ſe enim exercitui meo præiturum, mihique traditurum Perſarum Imperium. Itaque quum nullum alium in tali veſte viderim, & nunc conſpicatus hunc, & illius in quiete viſi, & cohortationis recordatus ſim, puto me, Divino miſſu facta expeditione Dario ſuperiorem fore, & Perſarum poteſtatem aboliturum, atque omnia, quæ mihi ſunt in animo ſucceſſura. Hæc loquutus ad Parmenionem, dataque Pontifici dextra, Sacerdotibus eum curſu comitantibus, in urbem venit, inque templum aſcendit, ac Deo ad Sacerdotis præſcriptum ſacrificavit, ipſumque Pontificem & Sacerdotes magnifice honoravit: oſtenſo autem ei Danielis Libro, in quo fore ſignificabatur, ut Græcorum quidam Perſarum regnum aboleret, ille ſe eum eſſe, qui ſignificarerur exiſtimans, tunc quidem lætatus multitudinem dimiſit; poſtridie vero ejus diei eos advocat, quæque ipſi velint dona poſtulare jubet. Pontifice autem petente, ut patriis uti liceret legibus, utque ſeptimo quoque anno tributis eſſent immunes, omnia eis conceſſit. Quumque illi ab eo petiiſſent, ut eos, qui in Babylonia, & in Media erant Judæos legibus ſuis uti ſineret, libenter promiſit facturum quæ ab eo

po-

poſtularent. Quum vero ad hoc diceret multitudini, ſi qui ſecum militare vellent, ea lege ut mores patrios tenerent, & ſecundum eos viverent, paratum eſſe eos ſecum ducere, multi libenti animo in eam expeditionem dederunt nomina. Flavius hucuſque (1).

CAPUT II.

Quæ contra hanc narrationem objiciuntur.

I. HAud defuere qui de veritate ejuſmodi narrationis dubitandum eſſe exiſtimaverunt variis diverſiſque acti animadverſionibus, quas heic ſimul colligemus. Prius momentum ex ſilentio Hiſtoricorum Gentilium ductum eſt. Flavius ipſe contra Apionem diſputans, inquiunt nonnulli, plurima attulit Gentilium Scriptorum in favorem Judæorum teſtimonia, ut ſuæ decus gentis adverſus contemptum Apionis vindicaret, neque tamen ex eorum aliquo Hieroſolymitanam Alexandri profectionem confirmavit. Loci exigentia id ut præſtaret poſtulare videbatur; ſed quum eorum, quos citavit, reliqua tunc adhuc eſſent commentaria, timuit, ne ſi aliquem ea de re alle-

 gaſſet,

(1) *Lib. Antiq. Jud. XI. cap. 8.*

gaſſet, argueretur falſitatis. Ex Hecatæo Abderita, qui cum Alexandro fuit, fidem facit plures Judæos in Macedonis caſtris militaſſe; cur eodem ex Auctore cetera, quæ de Profectione Regis Hieroſolymitana in libris hiſtoricis narraverat, non potuit comprobare?

II. Alii ſingillatim magis verba Flavii perpenderunt. Scripſit ille ſiquidem, Phœnices & Chaldæos comitatos fuiſſe Alexandrum Hieroſolyma accedentem, ac putaſſe, fore ut captam urbem diripere valerent. Verum, quî poterant Chaldæi tunc in obſequio & in comitatu eſſe Regis, qui nondum trans Euphratem arma tulerat, & Chaldæorum dominus nondum erat? Quî etiam tunc Hieroſolymitani poterant petere a Rege, ut eos, qui in Babylone, & in Media erant, Judæos legibus ſuis uti ſineret, ſi Mediam ac Babylonem tunc adhuc Darius tenebat, nec niſi ſequenti anno ſe non potuit eo conferre Alexander? Laudati Hecatæi teſtimonium adferens Joſephus, quo Judæos patriorum inſtitutorum fuiſſe tenaciſſimos oſtenderet, hoc ex eodem ſuppeditat exemplum: *Quum aliquando apud Babylonem eſſet Alexander, & vellet Beli templum, quod conciderat, reponere, ac omnibus militibus aggerere humum præcepiſſet, ſolos Judæos non opitulatos, immo & verbera, & mulctas*

multas graves pertuliſſe, donec Rex eis ignoſcens, talis laboris gratiam fecit (1). Si Alexander, inquiunt heic nonnulli, Hieroſolymis fuiſſet, ac illius privilegia gentis confirmaſſet, ſecumque militantibus Judæis ut patriis vivere poſſent legibus conceſſiſſet, num eos ad reſtaurationem ædis Beli opem ferre coegiſſet?

III. Alexandrum ſeptem menſes in oppugnatione Tyri, duos in Gazæ expugnatione conſumſiſſe ſcribit Flavius, inde addens, ipſum Hieroſolyma aſcendiſſe: totque ea in urbe peractis rebus moviſſe deinde in alias, a quibus omnibus amice ſuſceptus eſt. Hæc longo ſatis tempore indigebant, neque facile conciliari cum iis poſſunt, quæ Curtius, Diodorus Siculus, & Arrianus tradunt, quippe diſertis verbis aſſerunt, Alexandrum ſeptimo poſtquam a Gaza copias moverat die in Ægyptum perveniſſe.

IV. Dum Alexander Dei nomen in lamina Pontificis veneratus dicitur, Parmenionem ita Regem alloquutum inducit Flavius ac ſi jam tum Macedonum Princeps ab omnibus adorari voluiſſet; quum tamen certum ſit, nonniſi mortuo Dario, & Clito, ac Babylone agentem eo inſaniæ Alexandrum deveniſſe. Vix autem e Græcia egreſ-

(1) *Lib. contra Apion. I. n. 22.*

ſus Rex non videtur habuiſſe, unde verba in lamina tiaræ Pontificis inſcripta legeret, intelligeretque, ut inde veri nomen Dei, antequam Pontificem alloqueretur, adoraſſet. Hunc vero Danielis Librum Alexandro oſtendiſſe, Judaicam redolet fabulam juxta nonnullos, concipere qui nequeunt, quanam ratione ante expeditionem, propheticas ac vere divinas viſiones habuerit Alexander, qui, Ethnicorum teſtimonio Scriptorum, tot in ipſa expeditione ſomnia habuiſſe dicitur ſuis a Diis, atque Heroibus accepta, & quonam pacto una potuerit verum Deum colere, ac falſis adhærere Diis, eorum ſe ad Oracula conferre, & reſponſa accipere, ut de Jove Hammone referunt Scriptores univerſi, nam, capta Gaza, ad Templum illius Dei perveniſſe ajunt, eumque conſuluiſſe ſuper expeditione Perſica, ac ejus reſponſa pro divinis agnoviſſe. Num id præſtitiſſet Rex, ſi Iſraelitarum Deum precibus ac ſacrificiis vix antea Hieroſolymitano in Templo coluiſſet; ſique ex Oraculo Danielis, ac reſponſis Jaddi Macedonico convenientibus cum ſomnio, futurum ſe Perſarum ac totius Orientis victorem certo cognoviſſet?

V. Alterum ex ætate Pontificis Jaddi repetunt nonnulli ad labefactandam narrationem Flavii argumentum: quippe animadvertunt,

vertunt, Jaddum in genealogia Pontificum Judæorum a Nehemia memorari: ab ejuſmodi autem Propheta, & ab ejus ætate, ad uſque Darium, duodecimum & ultimum Perſarum Regem, ideoque uſque ad Alexandrum, ultra ducentos triginta numerari annos; haud potuiſſe propterea tempore ejuſmodi Regum eſſe in vivis Jaddum. Aliqui ad Alexandrinum Chronicon confugiunt, juxta quod, anteaquam Darius Perſarum Rex eſſet, fato jam functus erat Jaddus: confugiunt alii ad chronologiam Pontificum Judæorum poſt reditum a captivitate a Neutono illuſtratam: juxta quam regnante Artaxerſe Mnemone Jaddus vixerat; tempore autem expeditionis Alexandri in Perſas Simeon Juſtus erat ſummus Judæorum Sacerdos, qui Oniæ ſucceſſerat filio Jaddi.

VI. Ejuſmodi itaque acti difficultatibus nonnulli narrationem, qua de agimus, inter apocryphas recenſendam cenſent: quam proinde alii a Judæis Hieroſolymitanis poſt Alexandri mortem excogitatam ſuſpicantur, ut ſucceſſorum Alexandri favorem & gratiam ſibi conciliarent; alii vero ex itinere Alexandri ad Hammonem, atque ex ejus Oraculo conſulto, reſponſiſque de expeditione Perſica acceptis, & ſacrificio Hammoni a Rege facto, originem ſe detexiſſe gloriantur Flavii narrationis: Hiſtoricum

hunc

hunc nempe, ut ſuæ decus genti conciliaret, Hieroſolymitano Templo ea aſſeruiſſe arbitrantur, quæ in Hammonio evenerunt, Jovique Libyco Deum Hieroſolymis a populo Judæorum cultum callide ſubſtituiſſe. In eo utrique ceterum conveniunt, intelligere ut non valeant, quonam pacto factum a Flavio narratum gloriam ac decus Religioni veræ adferre poſſe exiſtimetur. Quî enim, inquiunt, acceptum æterno Numini ſacrificium tribuere Alexander poterat, qui tot ubique falſis obtulit Diis ſacrificia, eorumque Oracula omnia conſuluit, ac numquam ab idololatricis ſuperſtitionibus diſceſſit (2)?

---

(2) *Vandal. Diſſert. ſup. Ariſt. cap. X. – Prideaux Hiſt. des Juifs Tom. I. – Moyle Lettre au Doct. Prideaux Hiſt. des Juifs Tom. II. – Vagſtaff in Reſp. Lloydii Epiſt. ad Scherlock. – Examen critique des anciens Hiſtoriens d'Alexandre le Grande par M. le Baron de Sainte Croix p. 67. & not. XIII. p. 273.*

CAPUT III.

CAPUT III.

Momenta in favorem narrationis Flavii proponuntur.

I. QUamvis adductarum complexio animadverſionum aliquid ponderis prima ſpecie habere videatur: re tamen attentiore animo conſiderata, quum facile ſolvi omnes poſſint; ex oppoſito quum majoris adhuc momenti ea ſint, quæ veritatem narrationis Flavii confirmare valent argumenta, propterea eam ſumimus pro viribus noſtris vindicandam.

II. Sexcenta adferri primo poſſent loco de Flavii Operibus, ac in favorem eorum teſtimonia. Sapientiſſimum ac ſpectatum virum, in Cohortatione ad Græcos, eum appellat Juſtinus Martyr: Ἔτι δὲ καὶ σοφώτατοι φίλων τε καὶ Ἰώσηπός .... σοφῶν καὶ δοκίμων ἀνδρῶν, φίλωνός τε καὶ Ἰωσίπυ. Tertullianus in Apologetico adverſus gentes, *Judæus Joſephus*, inquit, *Antiquitatum Judaicarum vernaculus vindex*. Ita vero Euſebius Cæſarienſis: *Ac Gentilium ſuorum clariſſimi, Joſephus, & Philo, aliique complures, eoſdem memoriæ poſteritatis ſempiternæ, ſuis etiam operibus commendare voluerunt*. Τῶν δ' οἰκείων οἱ περιφανέστατοι καὶ μνήμης ἀλήστου τούτυς ἠξίωσαν,

ἠξίωσαν, Ἰώσηππός τε καὶ φίλων, καί ἕτεροι πλείους (1). Alio in loco Judaicas traditiones ſumma ipſum diligentia, utpote Hebræum ex Hebræis, perſequutum fuiſſe profitetur (2). Quot in eum effundit idem Euſebius laudes in Hiſtoria ſua Eccleſiaſtica: quantamque ipſi tribuit fidem & conciliat! Non ſolum apud gentem ſuam, verum etiam apud Romanos, Judæorum illius temporis facile præſtantiſſimum habitum fuiſſe prædicat, itaut tum ſtatuæ honore in urbe Roma decoratus fuerit; tum libri ab eo induſtria laborati, confectique publica in Bibliotheca merito fuerint repoſiti (3). Auctor Chronici Paſchalis Hiſtoricum Judæorum, Chronographum doctiſſimum appellat. Ἰώσηππος ὁ σοφώτατος χρονόγραφος. Sanctus Baſilius gravem Auctorem, Ἰώσηππος ὁ σπȣδαῖος (4). Hieronymus in Epiſtola ad Euſtochium, *Græcum Livium*; in Epiſtola ad Marcellam *doctiſſimum Judæorum* vocat; & in Epiſtola ad Magnum, Oratorem Romanum " talia, " inquit, ſæcularium profert Joſephus teſti- " monia, ut mihi miraculum ſubeat, quo- " modo vir Hebræus, & ab infantia litte- " ris ſacris eruditus, cunctam Græcorum " Bi-

(1) *Lib. VIII. Præpar. Evang. cap.* 10.
(2) *Lib. VI. Demonſtr. Evang. cap.* 11.
(3) *Lib. III. Hiſt. Eccleſ. cap.* 9.
(4) *Homil. in Fam. & Siccit.*

" Bibliothecam evolverit." Dicitur Flavius inſignis Hiſtoricus Iſidoro Peluſiotæ, Ἰώσηπος ὁ ἱστορικώτατος (5); ac Judæum fuiſſe eum quidem ait, ſed veritatis ſtudioſum. Ἰουδαῖος μὲν, φιλαλήθης δέ (6). Flavio autem credendum prorſus docet Theodoretus in rebus ejuſmodi, utpote homini, qui ſuæ fata gentis probe noverit. Πιστευτέον δ᾽ ἐν τούτοις Ἰωσήπῳ τοῦ ἔθνους τὰ μετρὰ ἐπισταμένου (7), ut Theodori Meliteniotæ, Theophylacti, Sozomeni, Jornandis, aliorumque veterum, quæ Joſephum celebrant, notiſſima heic omittamus teſtimonia.

III. Similia recentiorum collegit in limine celeberrimæ editionis ſuæ Operum Joſephi Havercampus. Unus nobis ſatis erit Joſephus Scaliger, a quo Flavius celebratur tamquam *diligentiſſimus* & *φιλαληθέστατος omnium Scriptorum* (8). Et quamvis Criticos, qui ipſi minus favent, recenſeat Johannes Albertus Fabricius, ſubdit accurate tamen: *Utcumque autem iſta ſe habeant, nihilominus in rebus, quæ circa ipſius tempora, atque jam inde geſta ſunt, ubi Hiſtoria Biblica deſinit, & univerſe de rebus gentis ſuæ, ne de aliis in præſenti dicam, plurima annotavit ſcitu dignissima*

(5) *Lib. III. Epiſt.* 19.
(6) *Lib. IV. Epiſt.* 71.
(7) *Quæſt. in Exod.*
(8) *Præfat. in Op. de emend. tempor.*

gniſſima (9). Nec diverſum eadem præſertim de cauſa judicium fuit Thomæ Ittingii ſcribentis : *Joſepho carere non poſſumus : nam non ſolum libros veteris Teſtamenti hiſtoricos egregie illuſtrat ; ſed etiam Hiſtoriam Eccleſiaſticam veteris Teſtamenti, quæ in ſacro Codice integra non extat, continuat, quo nomine quantum Joſepho debeamus res ipſa clamat, cum e ſolo pene Joſepho Hiſtoriam Eccleſiaſticam veteris Teſtamenti quoad ultimas ejus periodos haurire liceat. Et vel hoc unum pro Joſephi commendatione ſufficit &c.* (10) Quænam autem illa ſint, in quibus veteris Hiſtoria Teſtamenti deſinere videtur, quæque fuere a Flavio continuata, recenſet M. Andreas Franekenbergerus his verbis : " Libro
" undecimo, capite octavo ait Joſephus,
" monſtratum eſſe Alexandro Magno a Pon-
" tifice & a Sacerdotibus Hieroſolymitanis
" librum Danielis, prædicendo expectatio-
" nem futurorum commonentis de Pardo
" & Hirco caprarum, ſeu de Rege Græ-
" corum, quem ſeipſum eſſe interpretatus,
" multitudinem lætus dimiſit. Cumque ſe-
" quenti die vocatos ad ſe, juſſiſſet, ut
" quicquid vellent, peterent, non ſolum
" ipſis αὐτονομίαν in cultibus, & ſeptimo quo-
" que anno tributorum immunitatem con-
" ceſſit ;

(9) *Biblioth. Græc. Lib. IV. cap. VI. n. 5.*
(10) *Prolegomen. ad novam Joſephi edition.*

" ceſſit; verum etiam promiſit ſe curatu-
" rum, ut qui in Babylonia, & in Media
" degerent Judæi, iiſdem beneficiis frue-
" rentur &c. (11)" Heinc jure Caſaubonus de Flavio inquiebat: *Cujus libros niſi providentia Dei ſingularis ad noſtra ſervaſſet tempora, in quantis rerum Judaicarum tenebris hodie verſaremur* (12)! Quum itaque dignitatis ejuſmodi, & auctoritatis, & veritatis Hiſtoricus fuerit Joſephus, adeout Eccleſiaſticos inter Scriptores fuerit a nonnullis numeratus, quumque Hiſtoriam ſacram veluti ſuppleverit, ea videlicet temporis periodo, qua, ante Machabæorum geſta, nihil de rebus Judaicis habemus, ipſaque præſertim narratione profectionis Alexandri Hieroſolyma illius partem periodi tam utiliter ſuppleverit, quis talem narrationem inter apocryphas rejiciendam eſſe, jure aliquo exiſtimabit?

IV. Sane, ut a pluribus jam olim animadverſum eſt, Joſephus ipſe optime intellexit, nihil in Hiſtoria magis eſſe neceſſarium, quam ſtudium veritatis, ut in vita ſua proteſtabatur: Τῷ γὰρ ἱςορίαν ἀναγράφοντι τό μεν ἀληθεύειν ἀναγκαῖον. Quare, ut ibidem legimus, ipſius de Judaico bello libri manu ipſius Titi Imperatoris ſubſcripti,

ut

(11) *Excerpt. ex Inſtit. Antiq. & Hiſtor.*
(12) *Exercit. XII. in Baro*

ut publica in Bibliotheca adſervarentur, meruerunt. Hujus ſtudii veritatis, quo Flavius tenebatur, plura, certaque mox laudatus Franekenbergerus adfert teſtimonia. Notum autem eſt Joſephi in Antiquitatibus Judaicis ſcribendis conſilium, videlicet, ut Hiſtoriam Hebræorum, inſtar ſolis fulgore quodam claritatis tenebras cunctis ſcriptis humanis obducentem, ac propter ſimpliciſſimam, ac ſinceriſſimam puritatem, & certitudinem exteris quoque Regibus expetitam, peregrinam in linguam, & tunc omnibus fere gentibus notam transfunderet, atque ita populi ſui memoriam conſervaret. Hoc autem conſtituto, quis ſibi perſuadeat, ita affectum hominem Judaicam fabulam vero pro facto venditaſſe?

V. Accedit modus, quo factum illud Flavius narravit. Non enim ceu rumor fuiſſet ea de re aliquando ſparſus, aut ex abrupto mentionem illius fecit (quemadmodum præſtitit tum quum obiter animadvertit, juxta aliquos vitæ Alexandri ſcriptores, illi mare Pamphilum ceſſiſſe, aliamque non habenti viam aperuiſſe iter: a qua credenda re quamvis ipſe alienus non foret propterea quod Deus ope Alexandri ad evertendum Perſarum Imperium uti decreviſſet; attamen certam fidem ei dandam non poſtulans, liberum cuique eſſe quidquid

ea

ea de re ſentire voluiſſet, permittebat (13);) non, inquam, ejuſmodi dicendi modo uſus eſt dum de facto egit, de quo diſputamus; ſed immo fuſa, adcurata, & perfecta narratione illud docuit, ac tamquam ſolemne, ingens, certum, ratum, manifeſtumque eſſe voluit poſteritatis memoriæ conſignatum.

VI. Eo temporis illud litteris mandabat Flavius, quo adhuc extaſſe creduntur *αἱ βασίλειοι ἐφημερίδες*. *Regia Diaria*, in quibus ſcriptum erat quid ſingulis diebus feciſſet Alexander, nec non Bætonis, ac Diogneti commentaria, qui deſcripſerant *σταθμοὺς τῆς Ἀλεξάνδρου πορείας*, & quos Plinius *itinerum Alexandri menſores* appellabat (14): quare fieri non poterat, Flavium deſcribere tale factum voluiſſe, quod cum illis itinerum, ac manſionum deſcriptionibus, Regiiſque cum Diariis non potuiſſet convenire.

VII. Eo loci, ac temporis ſcribebat Flavius, quo innumeri Hiſtorici, Poetæ, ac Oratores in laudes Macedonis effuſi, omnium in manibus jam erant, ejuſque facinorum acta in theatris decantata, & Romanis agitata in ſcholis: quemadmodum *Suaſoriæ* prima, & quarta ſuper Alexandro M. Annæi Senecæ Rhetoris adhuc reliquæ oſtendunt, quæ recentiori ætate æternarum ma-

(13) *Lib. Antiq. Judaic. II. cap. 14.*
(14) *Plin. Lib. Hiſtor. VI. cap. 17.*

teriem adnotationum Fabris, Schottis, Gruteris, Juretis, Lipſiis, Petreiis, Pincianis, & Opſopæis præbuerunt. Quamvis vero Rex ille vivens edixiſſet, ne quis ipſum alius quam Apelles pingeret, quam Pyrgoteles ſculperet, quam Lyſippus duceret ex ære (15); fato tamen functus, adeo fuit a cunctis illorum generum artificibus expreſſus, nullus ut eſſet angulus, in quo forma ac ſpecies ipſius non compareret. Devictis enim Macedonia, Aſia, & Syracuſis, quum omnes tabulæ Deorum, ac Heroum pictæ, & omnia Regum illarum gentium ſimulacra & ſigna Romam fuiſſent jure victoriæ delata, quæque reliqua fuerant aut arte, aut pretio acquiſita, atque innumera ex eis derivata proinde, nemo jam in univerſo Romanorum Imperio erat, qui Alexandrum quotidie coram, ut ita dicam, non haberet. Suetonius in vita Julii Cæſaris " Quæſtori, inquit, ulterior Hiſpania obvenit, ubi cum " mandato Prætoris jure dicundo conventus circumiret, Gadeiſque veniſſet, animadverſa apud Herculis templum Magni " Alexandri imagine, ingemuit, & quaſi " pertæſus ignaviam ſuam, quod nihil dum " a ſe memorabile actum eſſet in ætate, " qua jam Alexander Orbem terrarum ſubegiſſet,

(15) *Plin. Lib. Hiſtor. VII. cap.* 38.

“ giſſet, miſſionem continuo efflagitavit ad “ captandas quamprimum rerum occaſiones “ in urbe. ” Heinc Julianus in *Cæſaribus* Alexandrum inducit ita Julio Cæſari dicentem: *Oportebat autem, Cæſar, te lacrymarum illarum recordari, quas fudiſti, quum monumenta cognoſceres in rerum a me geſtarum memoriam excitata.* Ἐρχὴν δὲ, ὦ Καῖσαρ, ὑπομνησῆναι τῶν δακρύων ἐκείνων, ἃ ποτε ἀφῆκας, ἀπροώμενος τῶν ὑπομνημάτων, ὅσα πεποίηται περὶ τῶν ἐμῶν πράξεων Idem Suetonius ita de Auguſto in ejus vita: *In diplomatibus, libelliſque, & epiſtolis ſignandis, initio Sphinge uſus eſt, mox imagine Magni Alexandri.* Eſſet & alius in vita ejuſdem Imperatoris locus, quem, ne nimii ſimus, conſulto præterimus: duo ſatius animadvertere contenti: alterum, vulgo adeo circumferri Romæ fuiſſe ſolitam quæſtionem: num ſi Alexander, perdomito Oriente, arma in Europam vertiſſet, Duces inventurus fuiſſet ſibi pares; adeo, inquam, per ora virûm volitaſſe hujuſmodi quæſtionem, ut T. Livius longa digreſſione in ea immorari æquum duxerit, ac meliore quo potuit modo illis aſſentari, quorum in funeribus majorum adhuc imagines deferebantur, quique ſub Auguſto, in Imperio vivebant adhucdum inani Reipublicæ imagine velato (16). Al-

B 2 terum

(16) *Lib. Hiſtoriar. IX.*

terum eſt id, de quo monitos nos voluit C. Tacitus dum funus Germanici deſcripſit, nihil ſcilicet in ſermone Romanorum tam frequens verſari tunc conſueviſſe, quam Macedonis acta & laudes (17): adeout Romanis haud minus, quam Græcis, Perſiſque Rex ille imperitaſſe videretur.

VIII. Quanto vero magis Romanorum ſtatus militare, & arbitrarium in Imperium verſus eſt, quantoque magis Cæſarum aula Perſicum induit apparatum ac faſtum; tanto magis Romani aliqui Imperatores, ut Alexandri imitatores haberentur, immo ut publice appellarentur nomine Alexandri voluerunt. Intenſiſſimo actus fuit ejuſmodi ſtudio ac deſiderio Trajanus, qui ſola Macedonis æmulatione bellicam ſuſcepit in Orientem expeditionem, quemadmodum ſuis in *Cæſaribus* innuit Julianus, qui a Mercurio interrogatum ita fingit Trajanum: *Tu vero ſare, quid animo tuo reputans, ea geſſeris, quæ geſſiſti? Eadem, reſpondit Trajanus, quæ iſte Alexander; ſed moderatius concupivi.* Σὺ δὲ εἶπε, τί διανοήμενος ὅσαπερ ἔπραξας; κ. τ. λ. Et quamvis a Macedone perpetrata, ſe ob ſenectutem minime præſtare potuiſſe lamentaretur veluti Trajanus; attamen dum Cæſarum quiſque propriam ſibi in Cæleſtibus ſedem

(17) *Lib. Annal. X.*

ſedem occupare perrexit, Trajanum ad Macedonem accurriſſe inquit Julianus, tamquam eodem quo Alexander ſeſſurum loco. Τραϊανὸς δὲ παρὰ τὸν Ἀλέξανδρον ἔθει ὡς ἐκείνῳ συγκαθεδούμενος. Quemadmodum autem in Trajano aut laudatum fuit, aut condonatum ſaltem, ſtudium æmulandi Alexandrum, ita in Caracalla fuit quammaxime damnatum, propterea quod non virtutes, ſed ſola Domitoris Aſiæ vitia expreſſerit. Ceterum unico Macedoni ſuum obtulit ille Imperator cultum, cujus nomen & inſignia ſibi adaptavit, ac ſumpſit, Macedonica Phalange ſuos inter Prætorianos aſcita (18), numiſmatibus additis, & imaginibus, quæ ipſum ſub facie, ac veſte, ac ſymbolis Alexandri repræſentarent (19). Notum autem magis ex Hiſtoria Auguſta eſt, ſub Alexandro Severo Macedonis Alexandri, rerumque ab eo geſtarum memoriam in numiſmatibus paſſim, ceteriſque publicis ac privatis monumentis fuiſſe Romano in Orbe renovatam, propterea quod Alexandrum Macedonem in omnibus æmulari affectaſſet Severus Alexander. Hujus in vita Macedonem Regem habuiſſe templum ſibi dicatum ſignificat Lampridius, qui de Severo addit: *Alexandri*

 (Ma-

(18) *Dion. Lib. LXXVIII. p.* 1312. *Erodian. I. IV. p.* 154. 168.

(19) *Spanhem. de uſu numiſmat. Diſſert. XII.*

(Macedonis) *habitu nummos plurimos figuravit, & quidem electreos aliquantulos, ſed plurimos tamen aureos*. Certe, niſi obtentu, prædicatione, & admiratione ſimilitudinis cum illo non poterant hunc amici, atque aſſentatores ſatis adulari. Adrianum vero Imperatorem *Alexandreida* ſcripſiſſe adnotat ex Stephano Henricus Snakenburgius in catalogo eorum, qui de vita, ac geſtis Macedonis egerunt. Laudatis igitur in *Cæſaribus* jure ac merito Julianus Quirinum inducit ita de Macedone loquentem: *Tanta autem hunc* (Alexandrum) *mei poſteri ſunt admiratione proſequuti, ut ſolum eum inter Duces exteros & vocent, & cenſeant Magnum*. ὕτω δὲ αὐτὸν οἱ ἐμοὶ τεθαυμάκασιν ἔκγονοι, ὥςε μόνον αὐτὸν ἐκ πάντων, ὅσοι γεγόνασιν ἡγεμόνες ξενοὶ, ὀνομάζυσι καὶ νομίζυσι μέγαν. Fuere inter Veteres. qui animadverterunt, Julianum ipſum Cæſarem, quemadmodum Macedonum olim Ductor, noctes ad officia diviſiſſe tripartita, quietis, & publicæ rei, & muſarum (20).

IX. Sed ad tempora Flavio propinquiora revertamur, & ad celebritatem & amplitudinem nominis Alexandri, non apud Cæſares modo, ſed apud privatos etiam cujuſcumque generis, populumque Romanæ gentis

(20) *Ammian. Marcellin. Lib. XVI. cap. 5.*

gentis univerſum. Omittimus, quod Ethnici contra noſtros de victoriis ac triumphis populi olim Dei, prioribus ſæculis, diſputantes, generatim quærere ſoliti eſſent: num Hebræi jactare umquam Ducem potuiſſent Alexandro parem (21)? In ipſo pacis otio fortuna, ac præſidium, ac illius cultus Regis plurimum valere creditus a Romanis fuit. Trebellius ſiquidem Pollio, de Quieto agens " videtur mihi, inquiebat, non prætermittendum de Macrianorum familia, " quæ hodieque floret, id dicere, quod ſpeciale ſemper habuerunt, Alexandrum Magnum Macedonem viri in annulis & argento, mulieres vero in reticulis, & dextrocheriis, & in annulis, & in omni ornamentorum genere, exculptum ſemper habuerunt: eouſque ut tunicæ, & limbi, & penulæ matronales in familia ejus hodieque ſint, quæ Alexandri effigiem de liciis variantibus monſtrent. Vidimus proxime Cornelium Macrum, ex eadem familia virum, quum cœnam in templo Herculis daret, pateram electrinam, quæ in medio vultum Alexandri haberet, & in circuitu omnem Hiſtoriam contineret, ſignis brevibus, & minutulis Pontifici propinare &c. (22)" Quo ex loco lu-

(21) *Apud S. Cyrill. Lib. contra Julian. VII.*
(22) *Vit. XXX. Tyrannor.*

cem accipiunt ea quæ ſcripſit Julius Capitolinus: *Dicuntur juvari in omni actu ſuo qui Alexandrum expreſſum vel auro geſtitant, vel argento*. Quod amuleti genus utinam nimium non perſeveraſſet, quum inter Sancti Johannis Chryſoſtomi querelas, hæc adhuc reperiatur: *Quid vero diceret aliquis de iis, qui carminibus & ligaturis utuntur, & de circumligantibus aurea Alexandri Macedonis numiſmata, capiti, vel pedibus?* νομίσματα χαλκᾶ Ἀλεξάνδρου τοῦ Μακεδόνος ταῖς κεφαλαῖς, καὶ ποσὶ περιδεσμούντων; (23) Cui non ergo notus Macedonum Ductor? cui ejus acta & facinora incomperta? Arrianus, qui vix medio poſt Flavium ſæculo ſcribebat: *Non abſque numine*, inquiebat, *Alexandrum terris datum exiſtimaverim, cui nemo omnium mortalium par fuit, ut continuata teſtatur ejus in hunc uſque diem inter homines memoria & gloria, major quam quæ in hominem cadat* (24). Facile ne igitur erit creditu, Hiſtoricum Judæorum, in ſplendore Aulæ faſtum æmulantis & fortunam Alexandri, in illa virorum principum & hominum doctiſſimorum luce, in urbe Græcis ac Orientalibus tunc temporis referta, deſcribere factum tam mirum ac ſingulare voluiſſe, quod, ſi de eo quis forte fortuna dubitaſſet, certiſſimis non potuiſſet confirmare argumentis?

(23) *Tom. Opp. II. p. 143.*
(24) *Lib. exped. Alexand. VII.*

CAPUT IV.

Sanctorum auctoritate Patrum, ac veterum Scriptorum narratio Flavii confirmatur, atque vindicatur.

I. De narratione Flavii, ſive de Profectione Hieroſolymitana Alexandri, quemadmodum deſcribitur ab ipſo, haud dubitavere celebriores antiquitatis Scriptores, atque Patres. Scripſit ſiquidem Origenes: " ne ab Alexandro quidem Macedone durius habiti ſunt Judæi, licet propter fœdera quædam noluerint contra Darium arma ſumere: quando etiam eorum Pontificem, ſacerdotali amictum ſtola, adoratum ferunt a Macedone, quod diceret, eo habitu viſum ſibi per ſomnium, qui prænuntiaret, ſubigendam ipſius armis Aſiam." ὡς μηδ' ἐπὶ Α'λέξανδρυ τῦ Μακεδόνος πάθειν τι αὐτὸς ἰπ' αὐτῦ, κ. τ. λ. (1) Euſebius quoque in Chronico ad annum Olympiadis CXII., Sancto Hieronymo interprete, hæc ſcripſit: *Alexander, capta Tyro, Judæam invadit, a qua favorabiliter exceptus, Deo victimas immolat, & Pontificem Templi honoribus plurimis proſequitur*. Memorant

(1) *Lib. V. contra Celſ.*

morant id quoque fragmenta græca Syncelli his verbis: Alexander Tyrum oppugnavit: Judæam cepit, & Jaddum Pontificem honore afficiens, ſacrificium Deo obtulit. Ἀλέξανδρος Τύρον ἐπολιόρκησεν. Ἰουδαίαν προσελάβετο, καὶ τὸν Ἀρχιερέα Ἰαδδοὺς ἐτίμησε, θύσας τῷ Θεῷ (2). Hoc Syncelli teſtimonium, ſeu fragmentum Dexippo aſſerunt Scaliger in ſuo Græco Chronico, & Doduvellus in diſſertatione de antiquis Romanorum cyclis. Quum tamen in rem noſtram æque ejuſmodi teſtimonium faciat, ſive Syncelli fuerit, ſeu Dexippi, hac de re quærere operæ pretium non eſt.

II. Sanctus Hieronymus enarrans Danielis verba: *Tunc Rex Nabuchodonoſor cecidit in faciem ſuam, & Danielem adoravit, & hoſtias & incenſum præcepit, ut ſacrificarent &c.* hæc habet: " Hunc locum calumniatur Porphyrius, quod nunquam ſuperbiſſimus Rex " captivum adoraverit. Sed poſſumus di-" cere, quod cauſas adorandi, & immo-" landarum hoſtiarum, & incenſi, & ſa-" crificii, ipſe Rex expoſuerit dicens: *vere* " *Deus veſter Deus*. Ergo non tam Da-" nielem, quam in Daniele adorat Deum, " cujus myſteria revelavit. Quod & Ale-" xandrum Regem Macedonum in Ponti-" fice

(2) *Pag. CCLXXV.*

" ſice Jojada feciſſe legimus (3)." Num vindicandis narrationibus Propheticis Hieronymus factum Porphyrio objeciſſet, quod illorum Gentiles temporum aut ignorare, aut refellere, aut irridere potuiſſent?

III. Quam clare & aperte illud tradit Sanctus Auguſtinus ſcribens: *Adveniente Alexandro, ſubjugata eſt Judæorum gens, quando etſi nulla facta eſt vaſtatio, quoniam non ſunt auſi ei reſiſtere, & ideo placatum facillime ſubditi receperunt: non erat tanta tamen gloria domus illius, quanta fuit in ſuorum Regum libera poteſtate. Hoſtias ſane Alexander immolavit in Dei Templo &c.* (4) Sanctus Johannes Chryſoſtomus, *quamvis Alexander*, inquiebat, *Deum adoravit, corpus ejus datum eſt in combuſtionem ignis.* καίτοι Ἀλέξανδρος προσεκύνησε τὸν θεὸν. καὶ τὸ σῶμα αὐτοῦ ἐδόθη εἰς καῦσιν πυρὸς (5). Non alio autem tempore, nec alio in loco, quam Hieroſolymis, Alexander verum adoravit Deum: quæ omnia Chryſoſtomus non memoravit ac adjecit, quia ſatis omnibus nota & comperta: nam quemadmodum animadverterat idem Sanctus Pater: *adeo magni & excelſi animi fuerat Alexander, ut ubique terrarum caneretur: dicebatur enim: Alexander ille Ma-*

(3) *Comment. in caput II. Daniel. v. 46.*
(4) *Lib. XVIII. de C. D. cap. 45.*
(5) *Tom. Opp. VI. p. 240.*

Macedo. Quamobrem ejus volante ſama, merito quæ ab eo geſta fuerant, undique celebrabantur: nihil enim inſigne latere poteſt: quare non minus inſignes erant res Macedonum, quam Romanorum. Τῶν γαρ̀ ἐπισήμων οὐδὲν δύναται λαθεῖν. οὐχ᾽ ἧττον οὖν τῶν Ρωμαίων τὰ Μακεδόνων (6). Vulgatum itaque haud minus apud noſtros fuiſſe videbatur Macedonem ſacrificium Hieroſolymitano in Templo obtuliſſe, quam ipſum ædificaſſe Alexandriam, ac victoriis Aſiam univerſam peragraſſe.

IV. Sulpitius Severus, Alexander, inquit, adiiſſe Hieroſolymæ Templum dicitur, ac dona intuliſſe: edixitque per omne Imperium, quod ſui juris effecerat, ut Judæis ibi degentibus liberum eſſet in patriam reverti (7). Nullam ingerere de mente hujus Auctoris debet verbum *dicitur*, quod ejus ſane ſtylo poſitum eſt; quum ea, quæ ſacrarum teſtimonio Litterarum certiſſima plane ſunt, eadem voce ſæpeſæpius referat, ut ejuſdem libros Hiſtoriarum legenti palam eſſe poterit. Sanctus autem Thomas ita ſcripſit: *Alexander, ut Hiſtoriæ tradunt, cum propoſito vadens in Judæam deſtruendi regionem, cum appropinquanti Jeruſalem & irato, in albis Summus Pontifex occurriſſet cum Miniſtris*

(6) *Tom. Opp. XI. p.* 433.
(7) *Lib. Hiſtoriar. II.*

niſtris Templi, manſuefactus, & de equo deſcendens, ipſe eum vice Dei reveritus eſt, & ingreſſus Templum maximis honoravit donis, & gentem totam pro divina reverentia libertate donavit (8). Conveniunt hac demum in re cum Flavio Judæorum Magiſtri, videlicet Talmudici, ut in Joma f. 69. & Taanith cap. IX., necnon Auctor Commentarii majoris in Leviticum &c. Quum itaque Flavius non modo, ſed & graviſſimi veteres Scriptores atque Patres Hieroſolymitanam Alexandri profectionem, & ſacrificium a Rege ſacra in æde Hieroſolymis oblatum, & Oraculum ipſi patefactum narrent, ſatis tutum habemus ea omnia credendi argumentum.

V. At enim vero dixerint heic nonnulli: laudata hucuſque veterum Scriptorum loca in unicum Flavii teſtimonium reſolvenda ſunt, quod illorum origo ſola & fons eſt, & cui Scriptores ejuſmodi facile nimium adhæſere. Quam enim fidem, ceteris vitæ Alexandri Scriptoribus tacentibus, facere de illius geſtis valet Flavius Joſephus, qui quadringentis & amplius annis fuit poſterior Alexandro?

VI. Verum, ut heic omittamus, præcipuos inter allegatos Scriptores, magis q am ut

(8) *De regim. Princip. Lib. II. cap.* 16.

ut factum illud doceant, eo immo, tamquam ſatis poſito noto & conſtituto, diverſa veluti emphaſi ac phraſi, uti ad alia probanda & confirmanda; quare tam generalis ac recepta ejus notitia unico e fonte non videtur proceſſiſſe: ut id, inquam, heic prætereamus, ipſa objecta nobis difficultas viam aperit ac ſternit ad præcipuum errorem detegendum illorum, qui de facto dubitant, quod vindicamus; errorem, inquam, illum, a quo ceteræ inanes eorum animadverſiones promanarunt. Nempe iidem ita diſputant, ac ſi Flavius vitam aut hiſtoriam Macedonis ſcripſiſſet, de qua ne per ſomnium quidem cogitavit. Ille ſiquidem ſolas antiquitates Judaicas ſibi perſequendas proponens, de Alexandri actis, ac præliis, ac bellis, ac victoriis, ac triumphis narrandis ſollicitus nunquam fuit, ſed de iis modo, quæ populo olim Dei, ac Judaicæ genti contigerunt: proindeque de Alexandro verba non fecit, niſi quatenus idem poſt expugnationem Tyri, profecturus in Ægyptum, iter per Judæam fecit, Hieroſolyma aſcendit, colloquium cum Pontifice Judæorum habuit, Templum eorum adiit, ſacrificium Deo obtulit, Oraculum accepit, Judæoſque ſuis legibus ac moribus vivere, tranquillitatemque ac pacem colere beniginiſſime conceſſit.

VII.

VII. Factum itaque, de quo agimus, non quatenus ad hiſtoriam Alexandri, ſed ſolum & præciſe quatenus ad Judaicam ſpectabat hiſtoriam Flavius narravit. Idque adeo verum eſt, ut quum Henricus Snakenburgius in fronte noviſſimæ ac omnium perfectiſſimæ editionis ſuæ Q. Curtii immenſum ſyllabum protulerit illorum, qui de vita ac geſtis Macedonis ſcripſere, adeout eorum numerus ad centum & quadraginta, ſi recte memini, pertingat, Flavius Joſephus inter illos minime compareat: probe vir diligentiſſimus intelligens, Flavium non inter Scriptores rerum Alexandri, ſed inter Judaicarum Hiſtoricos rerum eſſe modo recenſendum: quumque hic Judaicarum rerum fuerit præſtantiſſimus Hiſtoricus, ideo dignus eſt ut idoneus earum teſtis habeatur.

VIII. Nullo autem modo officit quod Flavius quadringentis & amplius annis fuerit poſterior Alexandro; ipſi ſiquidem tuta ac ſynchrona ac ſincera non defuere monumenta, e quibus ea hauſit, quæ Hieroſolymis ætate Alexandri contigerunt. Nam ut heic prætereamus, veteres Hebræos, haud minus quam Ægyptios, ac Babylonios, & Chaldæos, ac Perſas, & Medos, ea quæ apud ipſos præclara eveniebant, dum præſertim mandatis Dei obſequebantur, maxime vero quæ ad Reges ac Optimates, aut

ad

ad populum pertinebant univerſum, litteris diligentiſſime mandare ſolitos fuiſſe: quumque talibus in commentariis magna publicæ Hiſtoriæ pars contineretur, heinc pervulgatam eſſe ac veroſimillimam doctiſſimorum hominum opinionem, ex eiſdem excerptos fuiſſe eos, qui nunc exſtant, Regum libros, & compendiariam in Hiſtoriam conflatos (9); ut hæc, inquam, prætereamus, & ad id, quod narrationem, de qua agitur, propius ac immediate attingit, accedamus, ipſum ad Flavium confugimus, qui Judaicas ſuas antiquitates vindicans, poſtquam de Ægyptiis dixiſſet, & Babyloniis, & Chaldæis, ita proſequitur: *De noſtris vero progenitoribus, quod eandem (mitto dicere an potiorem) quam prædicti habuerunt in conſcribenda Hiſtoria curam, Pontificibus & Prophetis id muneris injungentes; quodque uſque ad noſtra tempora cum multa diligentia hoc ipſum ſervarint, & , ſi oportet audentius dicere, etiam ſervabitur, conabor breviter edocere.* καὶ ὡς μέχρι τῶν καθ' ἡμᾶς χρόνων πεφύλακται πολλῆς ἀκριβείας, εἰ δὲ θρασύτερον εἰπεῖν καὶ φυλαχθήσεται, πειράσομαι συντόμως διδάσκειν (10). Inſignis profecto & ſumma dignus attentione locus, quo nodi omnes feliciſſime ſol-

(9) *Huetius Demonſtr. Evangel. propoſ. IV. cap. XIV: de Lib. Reg.*
(10) *Lib. contra Apion. I. n. 6.*

ſolvuntur, & univerſa quæſtio mirifice illuſtratur. Quippe ſi acta publica a Pontificibus Judæorum ſemper fuere ac diligentiſſime in litteras relata; ſique ea adcuratius præſcripſere, quæ ſibi mandata fuerant & ſignificata a Deo, quæque ſibi evenerant dum mandatis Dei obſequebantur, quis perſuadere ſibi unquam poterit, Jaddum Summum Judæorum Pontificem, quem, adveniente Alexandro, monuerat in ſomnis Deus, ut bono eſſet animo, utque coronata urbe cum Sacerdotibus & civibus obviam procederet victori, ob quod cetera feliciſſime proceſſere, ſuamque Judæi obtinuere incolumitatem; quis, inquam, ſibi perſuadeat, Jaddum tale prodigium ac Dei beneficium actis publicis non conſignaſſe, tantique momenti monumentum Pontificali in tabulario non fuiſſe infinita cura adſervatum? Quum autem in illo demandato ſibi munere conſignandi litteris, quæ in Dei olim populo ſingularia præſertim eveniebant, ac ſua uſque tempora Pontifices Judæorum diligentiſſime perſeveraſſe, ſeque generis Pontificalis hominem illis ex membranis Judaicas ſuas antiquitates derivaſſe, Flavius Joſephus tam ſolemniter fuerit proteſtatus, ſequitur, narrationi ipſius, etiamſi non quadringentis modo, ſed octingentis & amplius annis fuiſſet poſterior Alexandro, eam conſtare de-

C bere

bere fidem, quæ actis ſynchronis optimo jure tribuenda foret a Jaddo Pontifice conſcriptis.

IX. Concedamus itaque, ſi placet, Sanctos Patres atque Eccleſiaſticos Scriptores, Alexandri Profectionem. Hieroſolymitanam memorantes, uni Flavio adhæſiſſe. Cur ei, obſecro, non credidiſſent? Num arbitrabimur, eos de vita ac hiſtoria, deque itineribus, ac bellis, ac victoriis Macedonis ſollicitos fuiſſe? Minime ſane gentium; ſed verius ſolliciti erant de ſacrorum complemento Oraculorum, juxta quæ venturi erant Reges terræ, & in Templo Dei adoraturi. Hujuſmodi autem Prophetiarum complementum num inquirere ipſi in Diodoro Siculo debuiſſent, aut in Q. Curtio, aut in Arriano, aut in Plutarcho, aut Poliæno &c.? Nil profecto tale in iſtis, ceteriſque ethnicis Sciptoribus fuiſſent reperturi. Scrutabantur itaque ſacras veteris Teſtamenti Litteras, & ubi iſtæ deſierant, ad Judaicas antiquitates Flavii prudenter confugiebant, & porro confugere debebant, intelligere ut poſſent quinam Principes ac Reges Hieroſolymitanum Templum coluiſſent. Sic Noſtri priorum faſtos ſæculorum Chriſtianæ pietatis, Heroaſque noſtros, & ſi qua ethnici Imperatores in tranquillitatem ac decus Chriſtiani populi egerunt, inveſtigantes, non

hæc

hæc in Svetonio, aut Tacito, aut Dione Caſſio, aut Floro &c. exquirunt; ſed in ſacris novi Teſtamenti Litteris, & ubi iſtæ deſinunt, ad Euſebium confugiunt, qui Chriſtianas edidit antiquitates.

X. Veteres illi profecto communi, ut ita dicam, ſenſu, leges illas judicandi perfectiſſime callebant, quas recentiores aliqui ſolita inventionis jactantia, & affectato apparatu ſe inveniſſe gloriati demum ſunt: videlicet præferendum eſſe unicum Scriptorem idoneum affirmantem ſexcentis qui tacent: præferendum ejuſdem nationis probatum Scriptorem res patrias narrantem extraneo cuique: anteferendum ſcribentem ea, quæ ad ſe, ſuoſque pertinent, auctoribus nullam habentibus de eiſdem rationem: hoſtibus, niſi ſi quando faveant, fidem jure ac merito negandam: Sacerdotes non dixerim, ſed minimum Æditum de proprii faſtis Templi plus ſcire, quam quod de illis noverint profani Scriptores omnes, & Hiſtorici Regum univerſi.

CAPUT V.

Cur laudatæ Profectionis Alexandri mentionem non fecerit Flavius in ſuis contra Apionem libris.

I. ILlud tamen ante cetera in quæſtionem venit, quare in libris contra Apionem, ubi tot in favorem gentis ſuæ ethnicorum adducit teſtimonia Scriptorum, eorum aliquod non adferat, quo factum Judaicæ Nationi tam decorum confirmaret?

II. Qui tamen ita diſputant, ſe libros illos numquam legiſſe, pene dixerim, oſtendunt. Priore ſiquidem in libro vere & proprie contra Apionem non diſputavit Flavius, ſed alios adverſus Judæorum hoſtes, qui Judaicæ antiquitatem gentis negabant. Satis ſe libri illius argumentum prodit in hiſce Flavii verbis: *Sufficiunt ad fidem antiquitatis noſtræ faciendam, Syrorum, & Chaldæorum, & Phœnicum hiſtoriæ; præterea tot e Græcis Hiſtorici, qui, communi omnes conſenſione, eidem antiquitati ſuffragati ſunt: quod unum hoc loco mihi propoſitum fuerat.* κοινῶς μένπι περὶ τῆς ἀρχαιότητος ἅπαντες μεμαρτυρήκασιν, ὑπὲρ ἧς τά νῦν λέγειν προεθέμλω (1).

Quod

(1) *Lib. contra Apion. I. n. 23.*

Quod adeo verum eſt, ut Euſebius, & Sanctus Hieronymus illos adverſus Apionem libros non alio donaverint nomine, quam *de antiquitatibus Judaicis*; ad quas idcirco Alexandri factum nullo modo pertinebat: quodque propterea, etiamſi ab ethnico aliquo Scriptore fuiſſet litteris commiſſum, adcurato a diſputatore tamen, tamquam ab argumento operis alienum, erat omittendum.

III. In ſola prima parte poſterioris libri proprie oppugnandum ſibi ſumpſit Flavius Apionem, quemadmodum etiam animadvertit, ac monuit Uſſerius: ſed quodnam erat controverſiæ inter eos argumentum, ſive quænam Judæis Apion opponebat? Eorum ſummam ita Flavius exhibuit: *Paſſim in ſimilia incidit iis, quæ ſupra ad examen vocavimus de majorum noſtrorum ex Ægypto migratione; partim vero accuſationem inſtituit Judæorum Alexandriam habitantium: tertium autem, iſtis admiſcetur de ſacris Templi noſtri cæremoniis, & aliis ritibus, quos criminatur.* Τὰ μὲν εἰς τὴν ὁμοίαν ἰδέαν πίπτει τοῖς προεξητασμένοις, περὶ τῆς ἐξ Αἰγύπτῳ τῶν ἡμετέρων προγόνων μεταναστάσεως. κ. τ. λ. (2) Quod ad primum igitur caput adtinet, Apionem ad ea, quæ copioſe libro primo dixerat, mittit Flavius: quæ tertio objecerat loco,

 erant

(2) *Lib. contra Apion. II. n.* 1.

erant ei cum aliis Judæorum adverſariis communia: quibus proinde cunctis ſimul regerit Joſephus; ideoque ſpecialis cum Apione quæſtio non fuit niſi de Alexandrinis Judæis, qui ſeditionis ea in urbe poſtulabantur. Ejuſmodi autem in calumnia refellenda totus fuit Flavius, qui, recenſitis pene omnibus Ægypti Regibus, jura ac privilegia fuiſſe ab eiſdem conceſſa ac perpetuo conſervata Judæis Ægyptum incolentibus oſtendit, ob numquam deficientem eorum in Principes illos fidem. Depulſo autem ſeditionis ab eiſdem excitatæ mendacio, tranſit Joſephus ad refutandos Appollonium Mallonis, Lyſimachum, alioſque, qui Moſaicis de Legibus perperam ſentiebant. Quum itaque concertatio Apionem inter ac Flavium non de Palæſtinis, aut Hieroſolymitanis, ſed de Alexandrinis ſolum ac in Ægypto degentibus Judæis foret, nullius opportunitatis erat, vel utilitatis ea recenſere, quæ in adventu Macedonis Hieroſolymis acciderant.

IV. In ipſis adhuc tamen contra Apionem libris factum memorat Joſephus, quo prodigia, quæ Rege Hieroſolyma accedente evenerunt, confirmantur vehementer. Vix enim Hieroſolymis diſceſſus, & profectus in Ægyptum Alexander, ſuo de nomine urbem condidit Alexandriam, in quam ma-

ximam

ximam immiſiſſe Judæorum coloniam tradit Joſephus, parique cum Macedonibus jure eos gaudere voluiſſe. *εἰς κατοίκησιν δὲ αὐτοῖς ἔδωκε τόπον Ἀλέξανδρος, καὶ ἴσης παρὰ τοῖς Μακεδόσι τιμῆς ἐπέτυχον* (3). De tanta illa Judæorum illic ſtatim coacta multitudine fidem faciunt gentiles Hiſtorici univerſi. Jam vero inſolitæ ac ſingulares rerum mutationes numquam ſolitariæ ſunt, ſed neceſſe eſt ut miras & inſolitas habeant cauſas, effectuſque miros ſemper habent ac omnino ſingulares. Quis autem ſibi facile perſuaſerit, Alexandrum ob repulſam Judæorum mox hoſtem, anteaquam appropinquaret Hieroſolymis, ſtatimatque occurſum vidit Jaddi, repente fuiſſe atque adeo mutatum, ut vetera non modo Judæis privilegia confirmarit, ſed eos ſocios acceperit, ſuamque novam urbem maximo eorum numero implerit; quis hæc, inquam, improviſo eveniſſe facile ſibi perſuaſerit, niſi oſtentum aliquod, aut prodigium & miraculum anteceſſerit, virtute cujus, Regis iræ in benevolentiam erga Judæos, & Judæorum dubitationes in ſtudium erga Regem fuerint converſæ? Quî enim Rex ſtatim inde diſceſſurus, & profecturus ultra Euphratem, Aſiamque, uti ſperabat, atque Judæam vi-

(3) *Lib. contra Apion. II. n. 4.*

ctoriis peragraturus, tantam poſuiſſet Judaico in populo fiduciam, ut magna ipſius parte novam urbem ſuam implere voluiſſet, niſi initum inter ipſos fœdus nexum & principium, & cauſam humana majorem habere crediiiſſet? Suam itaque benevolentiam quum tam manifeſto in Judæos munere declaraverit Alexander, & in libris contra Apionem celebraverit Joſephus, confirmaſſe in eiſdem dicendus eſt, Regem, dum per Judæam iter fecit, munificum jam egiſſe Dominum & amicum Judæorum, qui novis adhuc poſſeſſionibus ditati; ſumma, quoad Rex vixit, pace ac felicitate gaviſi ſunt.

CAPUT VI.

Inter narrationem Flavii ac res tunc ab Alexandro gerendas atque geſtas eſſe maximam concordiam.

I. Historicæ profecto veritatis hoc caput, hic cardo eſt, ut ea, quæ ab Scriptore aliquo eveniſſe referuntur, cum illis non pugnent, quæ revera contigerunt; immo cum illis conſonent, quæ reipſa & certiſſime evenere. Ejuſmodi autem fuiſſe nobis videtur Profectio Hieroſolymitana Alexandri: hujus quippe ſi conſilium poſt victoriam ad Iſſum attento animo reſpicimus,

ejuſque

ejuſque cogitandi rationem & agendi, vi cujus, expugnata Tyro, petere Ægyptum voluit anteaquam Dario iterum occurreret, tunc ea, quæ Flavius narravit, talia videbuntur, ut non modo non diſſonantia, nec oppoſita, ſed immo rebus tunc a Rege gerendis ac geſtis opportuna fuiſſe, & adcommodata dici mereantur.

II. Porro, ut in narratione Flavii diſſonantia cum iiſdem reperiretur aliqua, opus omnino fuiſſet, certiſque conſtare deberet monumentis, vel Alexandrum, expugnata Tyro, Judæorum de gente ac natione nihil ſollicitum fuiſſe, hacque intacta propere ſe contuliſſe in Ægyptum; aut Regem vel per ſe, vel per Legatos bello Hieroſolyma adortum omnia ſuſdeque poſuiſſe, ac Judaicum populum in ſervitutem ac captivitatem redegiſſe. Verum, ſi ethnicis ipſis ex Scriptoribus clare pateat, Macedonum Ductorem de adjungenda Imperio ſuo Palæſtina quammaxime ſollicitum fuiſſe, atque Hieroſolyma, anteaquam ſe conferret in Ægyptum, non præliis ac oppugnationibus, ſed facili pactione, pacatoque jure ſuam redegiſſe in poteſtatem, haud videmus, quin ea conſequi potuerint omnia, quæ Judæorum Hiſtoricus deſcripſit.

III. Et primo quidem, Alexandrum adiiſſe urbes ac regionem Judæorum anteaquam in Ægy-

Ægyptum proficiſceretur, dubitandum non eſt. Tyrum ſiquidem oppugnaturus, Arriano teſte, neceſſariam illius urbis expugnationem ſociis atque amicis oſtendebat Rex, propterea quod expeditionem in Ægyptum facere parum tutum ſibi cenſebat fore, Perſis Imperium maris adhuc obtinentibus, ac Darium inſequi, Tyriorum urbe dubia relicta, & hoſtibus Ægyptum adhuc poſſidentibus ac Cyprum: idque tum aliis de cauſis, tum præſertim ob Græciæ ſtatum anceps & periculoſum fore judicabat, ne fortaſſe maritimis oppidis recuperatis, interea dum ipſe exercitum in Babylonem ac Darium duceret, Perſæ majore claſſe bellum in Græciam transferrent; præcipue quum Lacedæmonii apertos ſe ſe Alexandri hoſtes declaraſſent; Athenienſes vero tunc metu magis quam benevolentia erga Macedones quieſcerent. Porro, capta Tyro, ac Phœnice tota, & navalis apparatus Phœnicum, quo maximo ac validiſſimo Perſæ utebantur, Macedonum viribus fore ut accederet, ſperabat; neque enim remiges, neque navium gubernatores Phœnices commiſſuros ajebat, ut ſe ipſorum urbes tenente, iidem pro aliis navale bellum ſubirent. " Cyprus
" præterea, ſubdebat Rex, vel facile ſe no-
" bis adjunget, vel claſſe eo miſſa parvo
" negotio capi poterit, atque ita Mace-

" donum

" donum ac Phœnicum conjuncta claſſe " mare pernavigantes, Cypro etiam ſubacta, firmum maris Imperium tenebimus; " ſimulque nobis facilis erit in Ægyptum " expeditio. Ægypto autem noſtro Imperio adjecta, nihil erit, quod aut de Græcia, aut domeſticis de rebus ſimus ſolliciti. Babylonicam porro expeditionem, " præterquamquod cum rerum domeſticarum " ſecuritate, majore etiam cum noſtra dignitate ſuſcipiemus, Perſis undique e " mari, & a regionibus cis Euphratem ſubmotis." Κύπρος δὲ ἐπὶ τῷδε ἢ οὐ χαλεπῶς ἡμῖν προσχωρήσει, ἢ ἐξ ἐπίπλου εὐμαρῶς ληφθήσεται. καὶ ταῖς τε ἐκ Μακεδονίας ναυσὶ καὶ ταῖς φοινίσσαις πλεόντων ἡμῶν τὴν θάλασσαν, τοῦ Κύπρου ἅμα προσγενομένης, θαλασσοκρατοῖμεν τε ἂν βεβαίως, κ. τ. λ. (1) Si itaque Phœnicia & circumjacentes undique regiones, antequam Ægyptum peteret, tuto ut præſtare id poſſet, erant Alexandro conquirendæ; ſique Perſæ nedum a mari, ſed a terris quoque cis Euphratem omnibus erant ſubmovendi, opus Regi profecto erat, ante expeditionem in Ægyptum, ut vel Judæos bello ac obſidione Hieroſolymorum ſuperaret, vel ut eos in ſocietatem veluti acciperet, ne gentem Perſis mox ſubditam, ipſiſque

(1) *Lib. II. Expedit. Alexand.*

ipſiſque animo adjectam, ſibi a tergo relinqueret, quare Perſæ facile redintegrare in Phœnice ac Palæſtina bellum poſſent.

IV. Capta Tyro, Regem ad obſidionem Gazæ ſe ſe accingentem deſcripturus Arrianus, *& cetera quidem*, inquiebat, *Syriæ, quæ Palæſtina vocatur, oppida in poteſtatem adduxerat*; *χοὶ ἰῶ αὐτῷ τα μεν ἄλλα τῆς Παλαιςίνης καλουμένης Συρίας, προσκεχωρηκότα ἤδη* (2). Mazacemque Perſam, Ægypti Satrapam a Dario conſtitutum, de pugna apud Iſſum commiſſa, deque debellato Perſico exercitu certiorem factum, *Phœnicem præterea & Syriam, magnamque Arabiæ partem in Alexandri poteſtatem redactam eſſe*: *καὶ φοινίκην τε καὶ Συρίαν, καὶ τῆς Ἀραβίας τὰ πολλὰ ἰπὸ Ἀλεξάνδρυ ἐχόμενα* (3). Quumque militares copias Mazzæus non haberet, Alexandrum in Provinciam veniſſe, atque urbes amice recepiſſe narrat. Fuit itaque Rex de Judæorum regione ac gente ante expeditionem Ægyptiacam ſollicitus, eaſque ſuo adjecit Imperio: quod geographicas tabulas vel præ oculis habenti quam neceſſarium fuerit, conſtabit. Sed & amice a Judæis receptum fuiſſe, magis ex eo inferre opus eſt, quod nullo in ethnico Scriptore, nullo in monumento adhuc reliquo, vel prælium

(2) *Lib. II. Expedit. Alexand.*
(3) *Lib. III. Expedit. Alexand.*

prælium in Judæos a Macedone commiſſum, aut vim aliquam ipſis factam, aut obſidionem Hieroſolymorum, aut militem illic præſidio relictum, aut Præfectum urbi ac regioni impoſitum, legere aut reperire quis poſſit.

V. Scribit equidem Curtius, Alexandrum Ciliciam Socrati regendam tradidiſſe, Philota circa Tyrum præſidere juſſo; Syriamque, quæ Cœle dicitur, Andromacho Parmenionem tradidiſſe (4). Andromachum tamen ſolis præpoſitum fuiſſe Samaritis, vel reliquæ præter Judæam Paleſtinæ, evincit factum a Curtio ipſo memoratum, tradente ſcilicet, Andromachum fuiſſe a Samaritis interfectum: quod reliquis etiam ab Hiſtoricis memoriæ conſignatum eſt. Non erat autem veriſimile, ut Gulielmus Jameſonus recte animadvertit, aliquam futuram fuiſſe Samaritis tanti facinoris perpetrandi copiam, ſi Andromachus toti Syriæ præfuiſſet; tum enim Damaſci habitaſſet: neque unquam Judæi Samaritis, infenſiſſimis ſuis hoſtibus, in Andromachi cæde conſenſiſſent (5). Revera Alexander ob Andromachi mortem Samaritanos magnis ſuppliciis affecit; Judæis ex oppoſito favere impenſiſſime non deſtitit.

VI.

(4) *Lib. IV. cap. 5.*
(5) *Spicil. Antiquit. Ægypti cap. XI.*

VI. Mirati ſunt nonnulli, cur ſoli Samaritæ in Macedonas tam cito rebellarint, dum pacate adeo novum tulerint jugum circumpoſitæ regiones atque gentes: ſubiiſſe propterea animum ſubjiciunt, quod ſacræ produnt Litteræ, ex Oriente veniſſe Samaritas, proindeque impenſe faviſſe Perſis, ceu antiquis conſanguineis: quod ipſi aliquando non diſſimularunt, oriundos ſe ſe ex Perſis, Mediſque fuiſſe, proteſtati: optaſſe eos igitur, ſperaſſeque, Perſas debellaturos tandem Alexandrum: auſos idcirco inſurgere in Andromachum Præfectum, eumque comprehenſum immani ira combuſſiſſe, ut, Tranſeuphratæenſium more regionum, Deum ſuum, Solem, cujus imago ignis erat, placarent. Verum, præterquamquod veteres Perſas Solem, ignemque ejus ſymbolum, proprio, ſacroque cultu veneratos eſſe negat, ac negationem validis confirmat argumentis Thomas Hydius in Hiſtoria Religionis veterum Perſarum; atque, ut ut Perſarum in Imperium ceteris procliviores Syris eſſe potuiſſent Samaritæ, magis adhuc tamen proxima, ac præſens magis cauſa rebellionis eorum in Macedonas, ac facinoris in Andromachum quærenda eſt.

VII. Hæc autem clare, ut nobis videtur, ac facile ſe prodit in iis, quæ in loco, de quo agimus, ſubdit Flavius. Narrato

vix

vix quippe adventu Alexandri Hieroſolyma, ita pergit: " His actis, movit inde Rex in " alias propinquas urbes exercitum, quum- " que ab omnibus amice exciperetur, Sa- " maritæ quoque, cujus caput erat Sicima " ſita ad montem Garizin, & habitata a " deſertoribus gentis Judaicæ, videntes quod " Alexander Judæos tam magnifice tractaſ- " ſet, decreverunt ſe quoque Judæos pro- " fiteri; ſunt enim Samaritæ hoc ingenio, " ut in rebus Judæorum afflictis, negant ſe " cognatos, veritatem tunc dicendo; quum " vero adfulgere eis fortunam viderint, con- " feſtim in ſocietatem irruunt, adtinere ad " ſe adfirmando, & a Joſepho, ejuſque " filiis Manaſſe & Euphræmo, ſeriem ge- " neris ſui deducendo. Itaque ſplendido " adparatu, & alacritatem magnam præſe- " ferentes, pene Hieroſolymitano in agro " Regi occurrunt: collaudatiſque ab Ale- " xandro omnibus, Scimitæ eum adeunt, " aſſumtis ſecum militibus, quos Sanabal- " letes miſerat: rogantes ut inviſat eorum " urbem, & illud quoque Templum præ- " ſentia cohoneſtet ſua. Pollicitus eſt Rex " hoc ſe in reditu facturum: quumque po- " ſtularent ut anni ſeptimi tributum ſibi " remitteretur, nam nec ſe quidem in eo " ſeminare: quæſivit quinam eſſent qui hoc " rogarent? illis vero dicentibus, Hebræos

" qui-

" quidem ſe eſſe, ſed Scimitas vocari a
" Sidoniis; iterum quæſivit an Judæi eſſent?
" Negantibus illis, equidem, inquit Rex,
" Judæis id conceſſi: reverſus tamen, & re
" diligentius cognita, faciam quod æquum
" videbitur; atque hoc pacto Scimitas di-
" miſit." Ὁ μὲν Ἀλέξανδρος ταῦτα διοικησάμενος ἐν τοῖς Ἱεροσολύμοις, ἐξεστράτευσεν ἐπὶ τὰς ἐχομένας πόλεις, πάντων δ' αὐτὸν πρὸς οὓς ἀφίκετο φιλοφρόνως ἐκδεχομένων, Σαμαρεῖται, μητρόπολιν τότε τὴν Σίκιμα, ἔχοντες, κειμένην πρὸς τῷ Γαριζεὶν ὄρει, κ. τ. λ. (6) Quam belle hæc omnia cum reliqua Hiſtoria, & cum narratione Profectionis Alexandri Hieroſolymitanæ conferuntur! Nempe primo in occurſu ſponte ac citius quam Judæi ſe ſe commiſerant Alexandri fidei Samaritæ; ſed privilegia Judæis conceſſa ab ipſo deinde non obtinentes, non immunitatem a tributo anni ſeptimi, non ut abſque Macedonico eſſent milite, abſque Macedonico Præfecto, propterea rebellarunt, Præfectumque cremavere, acti præſertim invidia in hoſtilem Judæorum nationem, erga quam Alexander tam benevolum animum oſtenderat: quare iram ejus demum ac vindictam meruerunt.

VIII. Hecatæus Abderites in expeditione fuit Alexandri. Sunt autem hæc de Judæa, deque

(6) *Lib. Antiquit. Judaic. XI. cap. 8.*

deque urbe Hieroſolymorum verba: *In univerſa Judæorum regione plurimæ ſunt arces, pagique: munitiſſima eſt autem Hieroſolyma, cujus ambitus &c.* Eςὶ γὰρ τῶν Ἰουδαίων τὰ πολλὰ ὀχυρώματα, κατὰ τὴν χώραν, καὶ κῶμας, μία δὲ ἡ Ἱεροσολυμὴ πόλις, κ. τ. λ. (7) Vides deſcriptionis emphaſim ac ſtylum. Munitiſſimam dicit Hieroſolymorum urbem qui in caſtris Macedonis fuit, quique ea quæ oculis ipſe ſuis deprehenderat, memoriæ poſterorum tradenda ſuſcepit Hecatæus; neque ſanctam tamen urbem aut fame, aut terrore, aut obſidione captam tunc fuiſſe ſcribit; ſed immo tamquam pacem ac tranquillitatem ſummam ea tempeſtate coluiſſet, egregio nobis penicillo repræſentat: quare jure meritoque inferas, Judæos ſuapte ſponte ſe ſe victori obtuliſſe, magnaque ipſum alacritate ſuam deduxiſſe in urbem: ex quibus facile conſequitur, Regem inviſiſſe Templum, obtuliſſe victimas, atque Oraculum Perſica de expeditione accepiſſe. Fas enim, immo neceſſe aliquando eſt, diligentioribus etiam ex Hiſtoricis nonnulla inferre, de quibus ipſi tacuerunt; præſertim ſi ea cum actis & agendis pervium nexum habere videantur. Exempla in Tacito, Livio, & Curtio adfert Freinshemius, qui ex omnibus

 ad-

(7) *Apud Euſeb. Lib. Præpar. Evang. IX. cap. 4.*

adjectis plura ab attento lectore quam quæ ſcripta ab illis auctoribus fuere, colligi poſſe ac debere demonſtravit (8).

CAPUT VII.

De Silentio Scriptorum vitæ Alexandri.

I. ANtequam de eo diſſeramus, effatum Vandalæi in examen revocare placet: effatum, inquam, cui tota prope diſputationis ejus machina innixa eſt. Sub Alexandro, inquit ille, magis noti eſſe Judæi Gentilibus cœpere, quam quod fuerint ante illum: itaque non potuerunt Profectionem ejus Hieroſolymitanam præterire ethnici Scriptores, ſi hæc revera eveniſſet. Verum hujuſmodi illatio, ut quiſque confeſtim videt, ab illo principio tantum eſt diſtans, quantum ſolis ortus ab occaſu; neque diſſitam adeo a principiis ſuis illationem, aut aliquam illi ſimilem, aut excogitatam umquam inveni, aut negatam, aut oppugnatam in integro opere Scherzeri.

II. Fatemur, Judæos ante Alexandrum ſolitos fuiſſe intra terræ ſuæ fines ſe plerumque continere illis contentos opibus, quas illic natura producebat: vitam procul com-

(8) *Not. ad Lib. Curtii VI. cap. 1.*

commerciis agitaviſſe; non enim tranſiiſſe maria, non viſitaſſe exteros; nec ab iis viſos; ex quo illud contigit, perpaucis fuiſſe tunc res eorum notas, nec plura ſcribere de eiſdem ethnicos Scriptores potuiſſe: ex oppoſito, ſub Alexandro, in ditionem ejus acceptos, & cum Perſis militantes, maximo etiam numero in Ægyptum translatos, Gentilibus notiores evaſiſſe. Ex Machabæorum libris notum eſt, Judæos ac Spartanos, poſt Alexandri ætatem, mutuis legationibus fœdera ſanxiſſe; quod idem cum Romanis poſtea fecerunt; ſiquidem Judas eorum Pontifex, poſtquam accepiſſet partas a Romano populo de Regibus victorias, Legatos Romam ad amicitiam, ſocietatemque jungendam miſit, eamque renovavit iterum: quod rurſum ab Hircano Pontifice, poſt Antiochi Regis obitum, factum eſt. Hæc, ut inquiebam, omnia fatemur, proindeque notiores veluti tunc factos Gentilibus Judæos. Sed ejuſmodi adhuc tamen cognitio quam debilis fuit, quam manca, quam caliginoſa, quam imperfecta ac idonea minus, ut ethnici Scriptores, etiam Alexandro poſteriores, notitiam habere potuerint eorum, quæ Judæis domi, quæ Hieroſolymis, quæ in Templo, quæ fortuito evenerunt! Haud fuiſſemus umquam profecto arbitrati, hominem inventum iri, qui ſilentium Ethnicorum re-

late ad Profectionem Alexandri Hieroſolymitanam urgere perrexiſſet, ducto ex cognitione, quam Gentiles habebant de Judæis argumento. Siquidem tum quum ethnici Scriptores agere de Judæorum origine & gente, deque eorum fatis & vicibus & moribus & Religione voluerunt, in tot ac tales errores, & σφάλματα, & mendacia cecidere, ut ea vix mentecaptis, ac delirantibus condonaremus. Proſtant ea de re Diodori Siculi, Plutarchi, Taciti, Suetonii, Juſtini &c. &c. teſtimonia a plurimis Scriptoribus collecta; ne de mendaciis heic ethnicorum loquamur vatum, quæ ipſi nunc irrident pueri poeticis cantionibus aſſueti. Quod ſi inſcitia ac imperitia Gentilium Scriptorum, de conſtantioribus ritibus Judaicis, deque Judaica Religione generatim accepta, dum loquuti fuerunt, inſanientium, tolerari non poteſt, cogitet ſanus quiſque, num ex eiſdem poſtulari jure poſſit, ut fortuiti meminiſſe debuerint facti Hieroſolymis peracti.

III. At enim vero dixerint adverſarii: fortuitum fuit quidem illud factum, & quodammodo ſpectans ad Judæos; attamen adhuc magis pertinere ad Alexandrum debebat: proindeque ſilentium de eodem, quod reperitur apud ethnicos Scriptores, nullius ponderis ac momenti haud eſſe poteſt, ſtatim atque præcipua Regis geſta tradere po-

poſterorum memoriæ ſtatuerunt. Quaſi vero ea, quæ in Palæſtina, inviſibili, ut ita dixerim, Imperii Perſarum parte, evenere, principium ac finis fuiſſent facinorum ac victoriarum Alexandri: quare in illis fuſe deſcribendis Hiſtorici Regis immorari debuiſſent, & nihil ipſis reliquum ſuperfuiſſet quod narrarent. Satis a nobis oſtenſum jam fuiſſe arbitraremur, factum illud Judaicam magis, quam ad Hiſtoriam Macedonicam ſpectaſſe: neque propterea tamen ſilentium de eodem apud profanos Scriptores tale ac tantum eſt, quale & quantum adverſarii ponunt atque præconcipiunt. Eam ſiquidem profectionem, tacite ſaltem ac ſub involucro, ſatis innuerunt illi ipſi, apud quos altum ponitur de re ejuſmodi ſilentium. Arrianus namque, fervente Tyri obſidione, *interea*, ſcripſit, *dum machinæ conficiuntur, & naves ad navigationem pariter ac pugnam inſtruuntur, Alexander cum aliquot equitum turmis, atque ſcutatis Agrianis, & Sagittariis in Arabiam contendit, ad montem, cui Antilibano nomen eſt: eaque regione* καὶ τὰ μὲν βίᾳ τῶν ταύτῃ ἑξελὼν, τὰ δὲ ὁμολογίᾳ παραστησάμενος *partim vi, partim pactionibus, ſuam in poteſtatem redacta, undecim dierum ſpatio Sidonem reverſus eſt* (1). Curtius quo-

 que

(1) *Lib. II. Exped. Alexandri*.

que inter illius obſidionis eventus ſcribit: " In Libano quoque Arabum Agreſtes in-" compoſitos Macedonas aggreſſi, triginta " fere interficiunt, paucioribus captis. Ea " res Alexandrum dividere copias coegit: " & ne ſegniter adſidere uni urbi videre-" tur, operi Perdiccam, Craterumque præ-" fecit; ipſe cum expedita manu Arabiam " perrexit (2)." Latere Profectionem Regis Hieroſolymitanam Arabica illa in expeditione exiſtimavit qui tanta ſui nominis cum laude Ægyptiacas antiquitates perſequutus eſt Gulielmus Jameſonus, animadvertens, facere heic cum Arriano, & Curtio Poliænum, & Plutarchum; quum enim omnes excurſum Alexandri in Arabiam memorent, neque tamen res tunc temporis ab eo geſtas ſingillatim deſcribant, haud cenſendum eſt, Regem adeo deſipuiſſe, ut dum Tyrus ſumma vi ac pertinacia Macedonibus reſiſteret, ac eorum minas ſperneret, ipſe copiarum partem in paucis latronibus inſequendis ab obſidione diſtrahere, & fatigare conſtituerit (3).

III. Commodum facit heic tamen magis quod vir clariſſimus Petrus Regis animadvertit, ſcilicet a Diodoro Siculo regionem univerſam, quam deſcribit, inter Sy-

riam

(2) *Lib. IV. cap. 2.*
(3) *Spicil. Antiq. Ægypt. cap. XI.*

riam & Ægyptum poſitam, regionem, inquam Judæorum, fuiſſe *Arabiam* appellatam (4); ex quo ſequitur, allegatos Hiſtoricos vagis illis narrationibus nihil aliud ſignificare voluiſſe, quam Alexandrum circumpoſitas omnes ac prope Phœniciam regiones, & oppida, quæ *Palæſtina* appellabantur, antequam Ægyptum peteret, ſibi adjunxiſſe: quibuſcum illa Arriani conveniunt de regione *partim vi, partim pactionibus ſuam in poteſtatem redacta* (5); illaque Curtii, qui, expugnata Tyro, *ceterum*, inquit, *Rex obibat urbes, Imperii jugum adhuc recuſantes* (6); nec non illa Theodoreti, poſt victoriam Regis in Cilicia, ſcribentis: *percuſſa inde Syria, Phœnice, ac Palæſtina, & urbibus partim deditione, partim vi captis*, καὶ τὰς μὲν τῶν πόλεων ὁμολογίᾳ λαβών, τὰς δὲ βίᾳ ἑλών, *in Ægyptum profectus eſt* (7). Quemadmodum autem in parte regionis, quam vi ſibi ſubegit Rex, Gazam vides; ita in parte, quam ſibi deditionibus adjunxit, videre debes Hieroſolymam.

IV. Nec vero diſcrimen aliud inter obſcuras haſce narrationes, & apertam narrationem Flavii reperimus, quam temporis

 an-

(4) *Moſes Legiſlat. adnot. XVII. p. 89.*
(5) *Lib. III. Exped. Alexand.*
(6) *Lib. IV. cap. 5.*
(7) *Comment. in Daniel. cap. 8.*

anticipationem, quare, perdurante obſidione Tyri, Palæſtinæ urbes partim vi ab Alexandro captæ, partim exceptæ ſpontanea deditione viderentur. Verum, ut id veritatem factorum non lædit, ita compendiariæ ſcribendi formæ magis tribuendum. Præſtitit id quoque elegantiſſimus recens *Alexandriados* Auctor, qui, hoc ſub nomine, Tyri ſolam expugnationem ſuo in Poemate ſibi præſertim celebrandam conſtituens; attamen fervente diuturna illius urbis obſidione Alexandrum ſomnium olim in Macedonia habitum accepiſſe, divertiſſe Hieroſolyma, ſacrificium obtuliſſe, indeque in caſtra accepto Oraculo reverſum, poetica pro libertate & conſuetudine fingit, ut prodigia illa omnia intra unius temporis ambitum includens, unica poſſet ſub actione, unoque carmine repræſentare. Præſtitit id demum, accuratiſſimus quamvis, & qui, ut videbimus, Flavium tam egregie expreſſit Freinshemius, ubi tamen ea per occaſionem ſe præcepiſſe monuit, quæ poſt Tyrum & Gazam expugnatas evenere (8).

V. Aliquid apertum magis tamen & clarum apud veteres proſtat Scriptores, & ad narrationem Flavii vindicandam magis opportunum. Juſtinus ſiquidem, poſt expugnatam

(8) *Supplem. in Lib. II. Curt. cap.* 11.

gnatam Tyrum, ita Regiæ expeditionis facinora proſequitur: *Tunc in Syriam proficiſcitur, ubi obviam cum inſulis multos Orientis Reges habuit; ex his, pro meritis ſingulorum, alios in ſocietatem recepit, aliis regnum ademit, ſuffectis in loco eorum novis Regibus* (9). Oroſius quoque hoc in loco ita ſcribit: *Alexander Parmenionem ad invadendam Perſicam claſſem cum copiis mittit; ipſe in Syriam proficiſcitur, ubi multis ſibi Regibus cum inſulis occurrentibus, alios adlegit, alios perdidit* (10). Juſtinum, quem Oroſius exſcripſit, ita in compendium redegiſſe Hiſtoriam Trogi Pompeii, ut leviſſima modo rerum excerpta tradiderit, notius eſt quam ut heic indicari mereatur. In Trogo itaque Pompejo, quo infeliciter caremus, debuerunt facta ejuſmodi eſſe ſingillatim & late magis expreſſa. Eo adhuc tamen in compendio ecquis eſt, qui Syris illis in Regibus cum inſulis Alexandro occurrentibus Jaddum Pontificem Hieroſolymorum non internoſcat, quemadmodum Iſaacus Voſſius in notis ad mox allatum Juſtini locum diligenter animadvertit? præſertim quum ignorare aliquis non poſſit, Judæos ab ethnicis Scriptoribus fuiſſe *Syros* appellatos, ac inter populos Syriæ recenſitos, ut

(9) *Lib. XI. cap.* 10.
(10) *Lib. III. cap.* 16.

uit ex Herodoto patet, Manethone, Diogene Laertio, Themiſtio, aliiſque plurimis. *Ultima Syriarum eſt Palaſtina*, inquiebat Ammianus Marcellinus in Syriæ deſcriptione (11). Judæorum certe regio cum aliis Syriæ Provinciis fuit fere ſemper ab antiquis Scriptoribus confuſa.

VI. Scrupulum heic tamen movet Barbeyracus, qui licet ex Flavio factum admittat, atque inter publica fœderum acta, quæ apud Latinos & Græcos proſtant Scriptores, hoc etiam, quod Alexandrum inter & Jaddum interceſſit, referat; attamen Juſtini verba de Regibus Syriæ *cum inſulis* procedentibus obviam Alexandro interpretari de Judæorum Pontifice neceſſe eſſe dubitat, propterea quod etiamſi *Reges inſulati* proprie Pontifices illi appellati fuerint, qui ſacris ſimul & civilibus rebus olim præerant, attamen deferre *inſulas* ſolitos eos etiam fuiſſe ſubdit, qui ſupplices ſe ſe victoribus offerebant, etiamſi neque Sacerdotes eſſent, nec Pontifices (12).

VII. Sed virum doctum heic fugit id, quod erat in loco animadvertendum. Quamvis enim veriſſimum ſit *inſulatos Principes* dictos haud minus fuiſſe eos, qui ſupplices vi-

(11) *Lib. XIV. cap.* 8.
(12) *Hiſtoire des anciens Traités &c. Tom. I. Article CCLXXII. p.* 238. *not.* 2.

victori occurrebant, etiamſi nulla Sacerdotali gauderent aut Pontificali dignitate; haud minus, inquam, quam Pontifices illos, qui & ſacris præerat, & civilibus in Republica aut civitate rebus; conſiderandum tamen erat, ex infulatis illis Syriæ Regibus, qui, expugnata Tyro, obviam venerunt Alexandro, alios a Juſtino & ab Oroſio dictos in ſocietatem pacifice receptos, ac in honore ac poteſtate ſua confirmatos; perditos alios, atque omni libertate ac Imperio privatos. Jam vero, ut omittamus, veriſimile haud eſſe, Alexandrum, tunc temporis præſertim, ac vix in Syrias ingreſſum, id præſtare voluiſſe, quod neque trans Euphratem, nec in tota vita & expeditione ſua factum ab eo fuiſſe invenimus, ut ſupplices ſcilicet Principes ac populos ſibi ſponte occurrentes perderet ac vaſtaret; quippequi in ſolos repugnantes, ac fortunæ reluctantes ſuæ, ſeverus atque aſper fuiſſe videatur: ut id, inquam, omittamus; magni tamen momenti eſt, quod teſtimonia Juſtini ac Oroſii eo modo quo diximus accepta, & omnem ex Flavii narrationibus accipiunt ipſa lucem, & apertiſſimam ſimul præbent narrationibus Flavii confirmationem.

VIII. Jam enim vidimus, Jaddum, ubi non procul eſſe ab urbe Regem intellexit,

prodiiſſe una cum Sacerdotibus & civili turba: Regem vero Hieroſolyma ingreſſum, ſibique grato Oraculo accepto, Judæis quæcumque poſtulavere, præſertim ut patriis vivere poſſent legibus ac moribus, utque ſeptimo quoque anno a tributis immunes eſſent, benigne conceſſiſſe &c. Samaritas ex oppoſito Regi æque obviam factos, ipſum rogaſſe, ut eorum urbem inviſere, & illud quoque Templum præſentia cohoneſtare ſua non gravaretur: poſtulaſſe etiam ut anni ſeptimi tributum ſibi remitteretur: quæ omnia quum Rex non conceſſiſſet, & Andromachum ipſis Præfectum conſtituiſſet, quem iidem rebellantes occiderunt, propterea iram Regis meritos fuiſſe. Nonne hæc vero omnia, quamvis obiter & ex abrupto, quamvis ſola per excerpta, ſatis tamen in Juſtini, & Oroſii narrationibus expreſſa remanent ac indicata? Quandoquidem enim a Tyro ac Sidone profecturus terreſtri via cum exercitu Alexander in Ægyptum, permeanda ipſi erat neceſſario Palæſtina: hocque in tranſitu Arrianus, Curtius, Plutarchus, Poliænus de expeditione Regis Arabica loquantur, proptereaquod regionem omnem inter Syriam & Ægyptum poſitam, *Arabiam* appellare veteres aliqui ſolerent: immo aperte iidem loquantur de *Palæſtinæ* oppidis amico fœdere Macedoni adjunctis:

Ju-

Juſtinus autem, ac Oroſius inter Syrias Palæſtinam collocantes, infulatos adducant Reges Alexandro occurrentes, quorum alii benevolentiam & gratiam victoris, ſeveritatem alii & pœnas meruerunt, nullum propterea nobis videtur illud, quod aliqui ponunt atque urgent veterum Scriptorum de Hieroſolymitana Profectione Macedonis ſilentium.

IX. Neque tamen difficile admodum eſt excogitare cur eam vel obiter ac ex abrupto, vel ſubobſcure & ſub involucro, aut per excerpta tradiderint ethnici Scriptores: aliquis etiam eam omiſerit omnino. Quid enim fuit Alexander, niſi prælia & bella? itaque bella tantum & prælia & victorias & fortunam ejus celebrare voluerunt. Factum autem, de quo agitur, quum minus, ut diximus, ad Hiſtoriam Alexandri ſpectaverit, quam ad Judaicam Hiſtoriam (cujus Ethnici, notiſſimum ut eſt, ignariſſimi fuere), de illo proinde aperte ac fuſe deſcribendo minime ſolliciti eſſe debuerunt. Accedit præſertim vero, prope omnes, qui reliqui nunc ſunt, vitæ Alexandri Scriptores ea floruiſſe ætate, qua univerſa Judæorum gens Romanis inviſa, immo exoſa jam evaſerat, publicæque perturbatrix tranquillitatis. Heinc ubique metus, contemptus ac tumultus, & quidquid duriorem reddere

po-

poterat eorum captivitatem. Quiſquis vel ſolum Philonem inter antiquos legerit de legatione ad Cajum Imperatorem, vel inter recentiores Tillemontium, ſtatum ac ruinam & occaſum Judaicæ gentis deſcribentem (13); is nonniſi exilia, excidia, cruciatus, ſtrages, ac extremas invenerit calamitates. Quid Hieroſolymitano de populo, & Sacerdotio, & Templo, ac Deo Romanum vulgus per illa tempora ſentire fuerit conſuetum, expreſſit Minutius Felix ubi Ethnicum inducit ita contra Noſtros diſputantem: *Judæorum ſola & miſera gentilitas unum & ipſi Deum, ſed palam, ſed templis, aris, victimis, cæremoniis coluerunt: cujus adeo nulla vis, nec poteſtas eſt, ut ſit Romanis hominibus cum ſua ſibi natione captivus* (14). Heinc illæ per ea tempora Petronii, Suetonii, utriuſque Plinii, Taciti, Juvenalis, Martialis, Quintiliani &c. in gentem ac Religionem Judæorum calumniæ ac contumeliæ. Poterat ne igitur facile fieri ut univerſo Romano Imperio in Circumciſos furente, aliqui vitæ aut hiſtoriæ Alexandri Scriptores niti contra talem impetum voluerint, & cum ſuo depugnare ſæculo, factum extollentes quod dejectæ adeo genti ac

(13) *Hiſtoire des Empereurs Tom. I. Hiſtoire de la ruine des Juifs &c.*
(14) *Min. Fel. in Octav.*

ac Sacerdotio ac Templo tantum olim decus ac gloriam conciliarat? Mirum certe fuiſſet magis quod illud aperte memoraſſent, quam quod aut callide omittendum duxerint, aut ſub involucris & obſcure tantum indicarint.

CAPUT VIII.

De Chronologia Scriptorum Alexandri.

I. INter oppoſitores tamen aliqui non deſunt, qui negativo ſilentii, ut præconcipiunt, veterum Scriptorum argumento addunt poſitivum, ex iis ſcilicet, quæ iidem Hiſtorici eveniſſe retulerunt derivatum. Quippe, ſi Diodorum, inquiunt, legimus, Curtium, & Arrianum, iſti non modo Arabicam Regis expeditionem, fervente Tyri obſidione contigiſſe, Regeſque cum inſulis obviam proceſſiſſe Alexandro, verum etiam hunc ſeptimo poſt Gazam expugnatam die in Ægyptum perveniſſe unanimi conſenſione narraverunt. In tanta igitur celeritate, qua uſus fuit Rex, concipi quî poteſt, eum retroceſſiſſe divertendo Hieroſolyma, eaque in regione moras traxiſſe ad Judæos non modo & Samaritanos audiendos, ſed ad offerenda ſacrificia, & Oracula accipienda, & cetera demum peragenda a Flavio de-

ſcripta,

ſcripta, quæ vix ab homine, qui otio abuſus eſſet ac tempore, præſtari potuiſſe dicerentur?

II. Ita quidem nonnulli: ſed cuinam clam eſſe umquam potuit, vitæ Alexandri Scriptores in Chronologia præſertim vehementiſſime erraſſe? Voſſius de Diodoro Siculo verba faciens, animadvertit, multa adeo apud ipſum in Olympiadum annis, ac Magiſtratibus Romanis recenſendis ſphalmata inveniri, ut inferre neceſſe ſit, eumdem corruptis, mutiliſquè annis uſum eſſe: quo nomine non a Bodino tantum, ſed a Sigonio quoque, Henrico Stephano, Pighio, aliiſque Chronographis valde vapulat. Noviſſimus ejus, diligentiſſimuſque editor ac illuſtrator Weſſelingius haud potuit, quin plurimos in eo Chronologiæ errores reprehenderit (1).

III. Epochas Arriani de rebus ac victoriis Alexandri notavit, præcipue Petavius (2). Quum adhuc in obſidione Tyri verſaretur Rex, Legatos ad eum veniſſe narrat nuntiantes Darium decem millia talentûm daturum, ſi matrem, uxoremque & libertos dimitteret: quidquid præterea terrarum inter Euphratem & Græcanicum mare jacet. Ad hæc, ſi Darii filiam in matrimonium ducere

Rex

(1) *V. Not. in Lib. XI. 51. Lib. XIV. 13. 71. 82, Lib. XVI. 2. &c.*

(2) *Ration. temp. Parte II. Lib. III. cap. 6.*

Rex vellet, amicum ſe ac ſocium fore (3). Hæc ille, inquam, fervente Tyri obſidione; quum tamen reliqui omnes Hiſtorici poſtremam hanc fuiſſe referant, quam Regis victoriæ, ac rerum ſtatus poſtulabat, Darii ad Alexandrum legationem, poſt Phœniciam omnem ac Ægyptum ſubactas, paullo ante Arbeliticum prælium, quod ſequenti anno commiſſum eſt: quare Arrianum legationes confudiſſe diverſo tempore peractas, ipſi laudatores ejus fateri denique cogantur.

IV. Frequens autem chronologicis in erroribus fuit Curtius, ut nihil magis. Quot quantaque in uno miſcuerit quæ diverſis temporibus evenerunt, intelligere quiſque poterit ex adnotationibus Freinshemii. Omnia quæ ad conſpirationem Philotæ in Alexandrum pertinebant, Hiſtoricum hunc contraxiſſe evincit Gronovius, quum non eodem loci, quo detecta ea fuerat, nempe apud Zarangæos, ſed in Arimaſpis comprehenſus ipſe fuerit, ſuffecto in ejus locum Ptolemæo Lagi filio (4). Quale vero quantumque incommodum profluat ex omiſſis a Curtio annis ac temporibus, quibus ſingula a Macedone geſta ſunt, animadvertit Johannes Clericus in allegato de Hiſtoria Curtii

E ju-

(3) *Lib. III. Exped. Alexand.*
(4) *Not. in Lib. VI. cap. 11.*

judicio; nullum diſcrimen æſtivorum aut hibernorum occurrere in illa ſubdens, indicium temporis nullum, adeo ut quum nihil apud ipſum in temporum ſerie habeatur exploratum, nulla proinde ſit in narrationibus ejus norma, qua quid aliquo geſtum fuerit tempore internoſcatur.

V. Tellierius Curtii commentator ac interpres ſynopſim confecit chronologicam rerum Alexandri, quam ad calcem editionis ſuæ illius Hiſtorici rurſus protulit Piſcus. Synopſim autem illam cum ſerie rerum a Curtio narratarum non conſentire haud diffitetur. Ad priorem interpres ille annum Olympiadis CXII. Regni Alexandri quintum, Tyri & Gazæ expugnationes, iterque Regis ad Hammonem refert, uti Hectoris mortes & Andromachi, Samaritanos denique punitos: quo etiam tempore Darium Babylone copias moviſſe ſubdit, & caſtramentatum ad Arbela: quæ profecto omnia minime cum ordine rerum a Curtio narratarum conſonant, cumque itinere præſertim Regis, ut iſte deſcribit, ad Hammonem, tempore quo ſol omnia incenderat: quod hiemis ſane tempore vel in ſicciore Libya evenire conſueviſſe credendum non eſt.

VI De Juſtino quid dicemus? Id, in quo excuſari nequit, inquit Franciſcus Mot-

thæus

thæus Vayerius, chronologiam ſpectat, in qua ſcilicet tam craſſe hallucinatus eſt, ut quiſque ſedulo cavere debeat, ne illum umquam ſequatur. Eo autem graviores cenſendos eſſe ſubdit ejus lapſus, quo Trogi Pompeii fama, hujuſque apud veteres omnes exiſtimatio hanc opinionem inducant, quod tot errores circa temporum ſeriem Epitomatori potius, quam Auctori primo aſſerendi eſſe videantur. Nemo Juſtinum ſane ceteris conciliare cum Hiſtoricis valebit, quum ille *non magno poſt tempore* quam cœpiſſet obſidio, captam fuiſſe Tyrum adſerat; alii ex oppoſito *ſeptem menſes* in obſidione fuiſſe conſumptos adfirment. In temporum denique ratione falli ſæpiſſime Oroſium, Voſſius non modo (5) & Dupinus (6) docent, ſed tot ea præcipue oſtendunt quæ in eo caſtigavit Scaliger in animadverſionibus Euſebianis, qui ad annum MMCCLXII. ejuſdem operis, diem obitus Alexandri doctis adhuc ignoratum pronunciavit, propterea quod in diverſas, oppoſitaſque ſententias abierint Scriptores.

VII. Ejuſmodi de chronologicis erratis egit etiam Pererius ſuo in Danielem commentario. Vix tamen alicujus hic auctor videbitur momenti, ſi nupero cum Scriptore

E 2

(5) *De Hiſtor. Latin. Lib. II. cap. IX.*
(6) *Biblioth. Auctor. Eccleſiaſticor. Tom. III.*

ptore conferatur, qui examen inſtituit veterum Alexandri Hiſtoricorum (7), in quo Seldeniana, & Salmaſiana, & Caſauboniana prope dixerim cum eruditione Gallicam mirari ſubit elegantiam. Innumeris ille monumentis utitur & animadverſionibus, ut Auctores vitæ Alexandri ad veriorem revocet temporis rationem, quam adſequuti non ſunt: parum adeo negotii faceſſere noſtra in quæſtione debet, Arrianum, Diodorum, & Curtium ſcripſiſſe, ante Tyrum captam Principes cum inſulis obviam proceſſiſſe Alexandro; huncque ſeptimo poſt Gazam debellatam die in Ægyptum perveniſſe.

CAPUT IX.

De omiſſionibus & diſcrepantiis Scriptorum vitæ Alexandri.

I. CHronologica ceterum errata, quæ Auctor examinis critici veterum Hiſtoricorum Alexandri ipſis objicit, minima pars eorum ſunt, quæ in eiſdem reprehendit. Egregium auſpicatur ille opus ab examine facultatis, ſcientiæque talium Scriptorum, quos antiquioribus ab Hiſtoricis, qui libera

(7) *Examen critique des anciens Hiſtoriens d'Alexandre le Grand par Monſieur le Baron de Sainte Croix.*

libera in civitate floruerunt, Thucydide præſertim ac Xenophonte, infinitum diſtaſſe contendit; auctoritateque ac teſtimonio Dionyſii Halicarnaſſæi, Luciani, ac Strabonis judicium ejuſmodi confirmat: quamvis, ſi Flavium nos audimus, neque priores illi omni caruiſſe labe credendi ſunt. De diſſonantia ſiquidem differens vetuſtiorum inter ſe Hiſtoricorum, & quam multa fuerint, in quibus Hellanicus ab Acuſilao diſſidebat; quam multa apud Heſiodum Acuſilaus caſtigaſſet: quam ſæpe Hellanicum Ephorus, Ephorum Timæus, Timæumque qui ſubſequuti ſunt, univerſi denique Herodotum mendacii reum peregerint: *quamquam*, ſubdit, *quid ea perſequi adtinet, quæ per urbes paſſim contigerunt, & in Siculis, aut Atticis, aut Argolicis, aut anguſtioribus omnino regionibus continentur, quum in ipſa quoque Perſica expeditione, ac rebus in ea geſtis, laudatiſſimorum Scriptorum magna ſit plerumque diſſenſio? prorſus ut ipſe etiam Thucydides licet accuratiſſimam temporum ſuorum videatur Hiſtoriam perſcribere, a nonnullis erroris & vanitatis arguatur*. *καὶ τί δεῖ λέγειν περὶ τῶν κατὰ πόλεις καὶ βραχυτέρων, ὅπυ περὶ τῆς περιηγήσεως τῆς περσικῆς στρατιᾶς, καὶ τῶν ἐν αὐτῇ πραχθέντων οἱ δοκιμώτατοι διαπεφωνήκασιν. κ. τ. λ.* (1) Si antiquioribus igitur ejuſmodi

(1) *Lib. I. contra Apion. n. 3.*

Hiſtoricis Scriptores vitæ Alexandri adeo fuere inferiores, cur iſtorum ex incerto teſtimonio ac tenui adeo auctoritate contra gravem auctoritatem, tutumque Joſephi teſtimonium quis diſputare jure auſit, ac ſi nihil ab ipſis erratum, nihil fuiſſe omiſſum conſtaret?

II. Dum ordinem ſane procedendi copiarum Alexandri in Syria, ac Palæſtina, nec non Hieroſolymitanum occurſum, peractaque a Rege antequam Jaddum alloqueretur, & ſacrificium, & Propheticum Oraculum ethnicis ab Scriptoribus poſtulant nonnulli, id quod falſum eſt habent præconceptum, integram nempe ex eiſdem reliquam nunc eſſe, omnibuſque abſolutam numeris, geſtorum Alexandri narrationem ac hiſtoriam. Ecquid certum magis tamen eſt, quam veteres vitæ ejus Scriptores neque in militum Macedonum numero, neque in numero copiarum Darii, neque in locorum, urbiumque deſcriptione, neque in deſcriptione manſionum atque populorum, quos Alexander ſuperavit, conveniſſe? Fuere qui Cappadociam a Rege tributariam factam ſcripſerunt, contendentibus aliis eum ne attigiſſe ipſam quidem, ſed, dum peteret Darium, ingreſſum aliam viam per Pamphiliam, & Ciliciam (2). Alexandrum in urbem

(2) *Appian. Alexandr. de Bell. Mithrid.*

bem Tyri viam vi feciſſe tradunt aliqui, ſtratagemate alii, nonnulli proditione captam, vel obtentam. Regem non ultra Hypaſim (ſive ut apud Strabonem ſcribitur *Hypanim*) progreſſum contendunt Arrianus, Plinius, aliique; ex oppoſito Lucanus, Craterum ſequutus, ad Gangem uſque perveniſſe ſcribit. Quot Alexandrum veneno periiſſe tradiderunt: quot contra morbo ex vinolentia contracto! Deceſſi ipſius corpus in Hammonis templum ab Aridæo translatum inquit Juſtinus; ſed Alexandriam a Ptolomæo delatum ajunt Diodorus, Strabo, & Ælianus. Sed quis diſſonantiarum apud Hiſtoricos illos finis, non tantum reſpectu perſonæ ac geſtorum Alexandri, quantum Regiarum reſpectu fœminarum, quæ aut cum ipſo fuerunt, aut ad ipſum ſpectaſſe videbantur? Uxorem Darii mœrore confectam tradidit Curtius; ſed Juſtinus ex colliſione partus, & Plutarchus partus doloribus fato functam aſſeruerunt: uxorem, inquam, Darii jam duos ante annos captivam in caſtris Alexandri. Hunc Statiram, priorem Darii filiam, uxorem accepiſſe volunt Diodorus, Juſtinus, & Plutarchus; alteram vero Darii filiam amico Hephæſtioni deſpondiſſe. Arrianus ex oppoſito, nullam agnoſcens Statiram, duas quidem ponit Regis Perſarum filias, Barſinem, & Paryſatidem,

dem, utramque tamen factam Macedonum Principi uxorem. Thaleſtrim Amazonum Reginam conveniſſe Alexandrum, perſuaſum ſibi tamquam certum habuere, ſi Plutarcho credimus, Clitarchus, Oneſicrites, Policrites, Antigenes, atque alii: id ex oppoſito meram habuere fabulam Ariſtobulus, Chares, Ptolemæus, Antichides, Philos Thebanus, Philippus Iſangelus, Hecatæus Erythræus, Philippus Chalcidenſis, & Duris Samoſatenus. Strabo certe multa de Amazonibus tradita, fuiſſe falſa animadvertens, *quale eſt etiam*, ſubdebat, *de Thaleſtria, quam Amazonibus imperantem cum Alexandro ferunt prolis concipiendæ cauſa in Hircania coiviſſe; non enim in confeſſo hoc eſt, nullaque fit mentio ejus ab his, quibus plurimum habetur fides.* καθάπερ καὶ Θαληστρίας, τῶ Ἀλεξάνδρῳ συμμίξαι φασὶν ἐν τῇ Ὑρκανίᾳ, καὶ συγγένεσθαι τεκνοποιίας χάριν, δυναστεύουσαν τῶν Ἀμαζόνων. οὐ γὰρ ὁμολογεῖται τοῦτο, κ. τ. λ. (3) Quo ſane in loco innumera vetus hic Auctor habet de antiquis vitæ Alexandri Scriptoribus, quorum nec induſtriam, nec prudentiam, nec fidem probandas eſſe contendit.

III. Sed ad Hiſtoricos deſcendamus hac in quæſtione præ ceteris objectos. Diverſa ſunt

(3) *Lib. Geograph. XI.*

ſunt inter ſe quidem Criticorum de Diodoro Siculo judicia; ſed qui argumentum ejus operis animadvertet, profecto non mirabitur profectionem Alexandri Hieroſolymitanam tali ab Hiſtorico fuiſſe prætermiſſam. Qui enim de rebus Ægyptiacis, Aſſyriis, Perſicis, Romanis, Punicis, aliiſque ſcribere conſtituerat, tot adeo intentus, minus in omnibus demum fuit; tametſi olim animadverterit Bodinus, ipſum, quum univerſalem Hiſtoriam litteris ſe conſignaturum ſpopondiſſet, totum fuiſſe tamen in rebus Græcorum deſcribendis, ac prolixiorem in unius Gelippi Macedonis concione, aut in deſcriptione peſtis Athænarum, quam in eorum narratione, quæ per Italiam annis fere tercentis geſta ſunt (4). Mirum nonne vero hominem, qui triginta ſe annos in Hiſtoria conſcribenda, & regionibus obeundis fatetur conſumpſiſſe, finitiſſimæ adhuc tamen Italiæ res negligenter adeo tractaſſe, præſertim quum Cæſare Dictatore, floreſcente videlicet Romanorum Imperio, floruerit? Et ſane, ſi ea in dubitationem revocare oporteret, quæ circa Alexandri acta Diodorus Siculus omiſit, Schytirum non modo bellum, ſed Sogdianorum quoque rebellio, mortes Citi atque Calliſthenis, matrimonium

nium

(4) *Method. Hiſtor. cap. IV.*

nium Regis cum Roxane, initium Indicæ expeditionis, cetera demum plurima neganda forent, de quibus altiſſimum eſt apud Hiſtoricum ejuſmodi ſilentium.

IV. In plurimis, quæ ad Macedonem pertinent, mirum quantum a Strabone, Diodoro Siculo, & Æliano diſſentiat Juſtinus. Vopiſcus Hiſtoricis eum illis adnumeravit, qui mendacium vitare nullo modo potuere. Plutarchus tot oppoſitas inter ſe illorum, qui vitam Alexandri antea ſcripſerant, opiniones ac ſententias dum colligit, prope efficit, ut de omnium vel cognitione, vel ſinceritate dubitemus. Ipſe certe de Macedonis fortuna & virtute ideo egit, ut ex militaris & civilis prudentiæ legibus, de utraque judicaret, eaſque cum fortuna & virtute Cæſaris conferret: quemadmodum in eorum comparatione Principum Montagnius demum, & Sanĉteuremondus Plutarchum imitati, pro morum ac temporum ingenio non infeliciter luſerunt.

V. De Curtio jam citatum habemus Johannis Clerici judicium. Exiſtimavit iſte, quod quum diuturniorem ille operam arti oratoriæ dediſſet, vidiſſetque, neminem apud Latinos res Alexandri fuiſſe perſequutum, hanc propterea materiem elegiſſe, non tam veritatis ſtudio, quam ut eloquentiæ ſuæ ſpecimen præberet. Eam igitur in

rem

rem geſta a Domitore Aſiæ, quemadmodum a Rhetore ſcribi poſſe atque oportere credidit, memoriæ conſignare aggreſſum eſſe, &, ubicumque potuit, orationum Hiſtoriæ inſerendarum occaſionem captaſſe, eaſque vitioſi Rhetoris conſcripſiſſe ſtylo, hominiſque, qui in umbra & in ſchola conſenuerit. Inutilia demum ac fabuloſa ab ipſo narrata fuiſſe ſubdit, veriſimiliora & neceſſaria prætermiſſa. Nec ſeverum minus eſt quod de Curtio profert judicium Tellierius, quamvis ipſius editor, interpres, atque fautor (5); ne heic nupero de Scriptore dicam in Hiſtoricum Scepticiſmum quam maxime propenſo, qui ex lectione Curtii, & Arriani in ſua ſe cogitandi ratione confirmatum fuiſſe proteſtatus eſt (6).

VI. Arrianus tamen eo magis φιλαληθὴς audit, quo ſynchronis Scriptoribus uſus dicitur, Ariſtobulo nempe, & Ptolemæo Alexandri comitibus, qui quum eo exſtincto ſuos ſcripſerint commentarios, metu propterea & aſſentatione, quibus narrandarum veritas rerum corrumpi ſolet, procul abfuiſſe credendi ſunt. Maximis ſane laudibus eos in Hiſtoriæ ſuæ proœmio celebrat Arrianus, Ariſtobulum quidem, quod Regi ſocius

(5) *Præf. ad edit. Curt. ad uſum Delph.*
(6) *Hiſtoire nouvelle de tous les Peuples du Monde &c. Tom. I. Introd. p.* 43.

ſocius in expeditione fuerit; Ptolemæum vero, quia præterquamquod una cum Rege militaverit, turpius in ipſo, quippequi Rex etiam poſt mortem Alexandri fuerit, mendacium, quam in alio quopiam eſſet futurum.

VII. Sed quamvis iſta ſpecioſa videantur, penitius tamen in examen revocata, tanti ponderis non ſunt, ut Arriani ſilentium Joſephi teſtimonio jure opponi poſſe videatur. Et primum quidem, etiamſi infinitas ſibi laudes tribuere non erubuerit Arrianus, ſeque exiſtimaverit tantum ceteris præſtaſſe Hiſtoricis quantum reliquis Imperatoribus Alexander præſtitit, haud invenimus tamen ipſum Hiſtoriæ leges ſincero fuiſſe animo ſequutum. Quid enim de homine dicendum, qui turpiorum Alexandri vitiorum perpetuum egit vindicem, quique ea, quæ in Rege vituperanda poſtremo tempore fuerunt, in virtutes vertit, ſeque ſe apertum oſtentat Macedonis aſſentatorem? *Quod vero ad Deum*, inquiebat, *generis ſui originem retulerit Alexander, ne hoc quidem atrox delictum fuiſſe cenſuerim; neque enim mihi videtur Rex fuiſſe Minoe, aut Æaco, aut Rhadamanto inferior, quorum genus ad Jovem a veteribus relatum, nullo ipſius vitio, aut contumeliæ verſum fuit; quemadmodum nec Theſei ortus ad Neptunum, neque Jonis ad Apollinem relatus*. ὅτι δὲ εἰς θεὸν

τὴν

τὴν γένεσιν τὴν αὐτοῦ ἀνέφερεν, οὐδὲ τοῦτο ἐμοὶ δοκεῖ εἶναι μέγα αὐτῷ τὸ πλημμέλημα, κ. τ. λ. (7) Plurima ut ejuſmodi omittamus gravi ac vero in Hiſtorico nullatenus ferenda.

VIII. Illud vero animadvertendum præcipue eſt, nil ad integritatem narrationum Arriani conferre, quod Ariſtobulum, ac Ptolemæum, Perſica in expeditione Alexandri ſocios ſit ſequutus: quippe jamdiu lectores monuerit Strabo animum ut adhiberent in iis, quæ Græci præſertim Alexandri Hiſtorici de eo tradidere; paucos ſcilicet eorumdem facta Regis conſpexiſſe, *eoſque, qui ſe vidiſſe dicunt, nonniſi audita tamen narraſſe: quin & quæ viderunt, in tranſitu militari, & curſu viderunt: qua de cauſa ne eadem quidem de eiſdem perhibent, quamquam libros ut de rebus diligenter exploratis ſcripſere. Sunt qui fuerint in eadem expeditione atque peregrinatione, ut qui Alexandrum in Aſia domanda ſunt comitati, ſingula ſingulis contraria ſæpenumero tradentes. Jam ſi de viſis ita diſſentiunt, quid arbitramur de auditis futurum?* τινὲς δ' αὐτῶν καὶ συστρατεύσαντες ἀλλήλοις, καὶ συνεπιδημήσαντες, καθάπερ οἱ Ἀλεξάνδρῳ συγκαταστρεψάμενοι τὴν Ἀσίαν ἀλλ' ἕκαστος ἑκάστῳ τἀναντία λέγειν πολλάκις. Ὅπου δὲ περὶ τῶν ὁραθέντων οὕτω διαφέρονται,

τί

(7) *Lib. VII. Exped. Alexand.*

τί δεῖ νομίζειν περὶ τῶν ἐκ ἀκοῆς; (8) Quo ſane judicio nihil adcuratius poteſt reperiri. Ariſtobulum revera, ac Ptolemæum de inſignioribus Alexandri actis diſſenſiſſe, ipſe confeſſus eſt Arrianus. Nam tametſi eorum de ſcriptis fauſte adeo in Hiſtoriæ proœmio ſentire videatur, ubi tamen eo devenit, ut denſiores objiciantur ſibi tenebræ, candide fatetur demum, *ne ſide quidem digniſſimos, ad narrationem quod attinet, & qui tunc Alexandri comites fuere, de rebus ipſis, quomodo geſtæ ſint, convenientia ſcripſiſſe.* ὕτως ὐδὲ οἱ πάνυ πιςοὶ ἐς τὴν ἀφήγησιν, καὶ ξυγγενόμενοι ἐν τῷ τότε Ἀλεξάνδρῳ ὑπέρ τῶν γνωρίμων τε καὶ ὐ λαθεύτων σφᾶς ὅπως διεπράχθη, ξύμφωνα ἀνεγραψαν (9). Id ex oppoſitis Ariſtobuli & Ptolemæi ſermonibus confirmat: quorum & diſſonantiam apud Plutarchum quiſque animadvertere æque valet, ubi hic de Macedonis virtute & fortuna diſſerit.

IX. Sed falſum adhuc eſt, Ariſtobulum, extincto jam Rege, de ipſius geſtis narrandis fuiſſe ſollicitum, atque ab omni aſſentatione procul abfuiſſe. Lucianus ſiquidem eo in opere, in quo quomodo Hiſtoria conſcribenda ſit, docet, vitium iſtud in Hiſtorico vehementer notans, eo qui laborant, neque illud conſequi quod maxime in-

(8) *Lib. Geograph. XV.*
(9) *Lib. IV. Exped. Alexand.*

intendunt oſtenſurus " nam, inquiebat, qui " laudantur ab ipſis, eos multo magis tamquam adulatores averſantur: recte procul " dubio facientes, & maxime ſi virili ac " generoſo animo præditi ſunt: quemadmodum Ariſtobulo accidit, qui ſingulare certamen Alexandri & Pori conſcripſit. Eo " enim ipſo legente hunc potiſſimum locum, " quo pugnam hanc deſcripſerat (parabat " enim ſe maximam apud Regem gratiam " hoc pacto initurum eſſe, aſſignatis illi " falſo rebus quibuſdam præclariſſime geſtis, & effictis operibus veritatem excedentibus), Alexander accepto libro (nam " tum forte in flumine Hydaſpe navigabant), projecit præcipitem in aquam. " Et te, inquiens, eodem modo decebat, " Ariſtobule, præcipitari, qui talia pro me " ſingulari certamine pugnaveris, ut elephantos ſagitta interfeceris." λαβὼν ἐκεῖνος τὸ βιβλίον (πλέοντες δ᾽ ἐτύγχανον ἐν τῷ ποταμῷ τῷ Ὑδάσπῃ) ἔρριψεν ἐπὶ κεφαλὴν ἐς τὸ ὕδωρ, ἐπειπών, καὶ σὲ δὲ οὕτως ἐχρῆν, ὦ Ἀριςόβουλε, τοιαῦτα ὑπὲρ ἐμοῦ μονομαχοῦντα, καὶ ἐλέφαντας ἑνὶ ἀκοντίῳ φονεύοντα (10). En qualem actorum Alexandri teſtem, ac Hiſtoriæ ſuæ ducem ſequutus demum fuerit Arrianus.

X.

(10) *Lucian. Lib. cit.*

X. Quod autem nec a Ptolemæo Alexandri in expeditione comite factum deduxerit ille Auctor, quid mirum? Nonne candide monuit Flavius, dum Alexander procul adhuc conſpicatus multitudinem in albis veſtibus, & Sacerdotes præcedentes in byſſinis tunicis, & Pontificem in hyacinthina veſte & auro diſtincta, atque tiaram in capite gerentem, in qua Dei nomen inſcriptum erat, ſolus acceſſit, ac Dei nomen veneratus eſt, priorque Pontificem ſalutavit; dum hæc, inquam, geſſit Macedonum Ductor, nonne monuit Joſephus, cunctos, qui eum proxime comitabantur Principes ac Duces, reliquoſque obſtupuiſſe, ac Regem mentis impotem tum eſſe factum, fuiſſe ſuſpicatos? τῶν δὲ Ἰουδαίων πάντων ὁμοῦ μιᾷ φωνῇ τὸν Ἀλέξανδρον ἀσπασαμένων, καὶ κυκλωσαμένων αὐτὸν, οἱ μὲν τῆς Συρίας βασιλεῖς καὶ οἱ λοιποὶ τοῦτο ποιήσαντος κατεπλάγησαν, καὶ διεφθάρθαι τῷ βασιλεῖ τὴν διάνοιαν ὑπελάμβανον (11). Nam facile vero nobis perſuadebimus, adhuc poſt ingreſſum Regis in urbem, eam exuiſſe ſuſpicionem ethnicos homines, militum Duces, qui pacatæ illius deditionis cauſa, Hieroſolymorum prædam ſibi viderant ereptam? Conſpiratione autem cum Antigono, & Seleuco, & Lyſimacho, &

(11) *Lib. Antiqu. Jud. XI. cap.* 8.

& Caſſandro facta, diſtractoque Alexandri mortui Imperio; ſeipſum conſtituit Ptolemæus Ægypti Regem, qui, dum cum æmulis contendit, Hieroſolyma dolo cepit, urbemque, atque incolas Judæos acerbiſſime tractavit (12). Pudere itaque ipſum debuit in Hiſtoria Alexandri factum commemorare ſuæ agendi rationi e diametro adverſum. Ceterum ſubit heic animum opportuna cogitatio: ſiquidem qui ponunt, veriſimile haud eſſe, Ptolemæum, ceu Alexandri in expeditione comitem, Hieroſolymitanum factum omiſiſſe; cur illud inde a Judæis Hieroſolymitanis poſt Macedonis mortem excogitatum, ut ſucceſſorum ejus favorem & gratiam ſibi conciliarent, ſuſpicantur? Num in mentem Judæorum illius ætatis cecidiſſet, fore ut ſucceſſoribus illis, qui comites ac ſocii Alexandri tota in expeditione fuerant, fucum facere tam aperto ac impudenti mendacio potuiſſent? De ſucceſſoribus autem ſucceſſorum ſeu Seleucidis, ſeu Lagidis poſteriori ætate fabella aliqua lactandis numquam Judæi cogitaſſent, qui jam abunde noverant, utroſque quacumque alia de re magis, quam de Macedone æmulando cogitaſſe.

F CAPUT X.

(12) *Lib. Antiq. Jud. XII. cap.* 1.

CAPUT X.

De Supplementis ad Scriptores vitæ Alexandri.

I. QUamvis vero veteres vitæ Alexandri Scriptores adeo diſſiti a perfectione fuerint, ac tot apud ipſos confuſa, turbata, obſcura, diſſonantia inter ſe, ac nonnulla ſint quæ omnino repugnare videantur, haud inde tamen conſequi oportet, de Regis illius actis quemadmodum de laboribus Herculis eſſe cogitandum: quod verbum fuit hominis in Scepticiſmum vehementiſſime proclivis; neque inferendum eſt, ſatis idoneam confici non poſſe præcipuorum Macedonis geſtorum narrationem, atque Hiſtoriam: quippe ille ſapiens vere eſt, non qui omnem Hiſtoriam evertit, ſed qui vera a falſis ſecernens,

Inutileſque falce ramos amputans,
Feliciores inſerit.

II. Duplici autem via obtineri id, niſi valde fallimur, poſſet: prima quidem, in examen revocatis iis, quæ veteres apud Scriptores de Macedone ſunt reliqua, iiſdemque inter ſe, & cum ſerie locorum ac temporum

porum collatis, quæque ad veritatem magis accedere videntur ſelectis, adeo ut Scriptores alii in ceterorum ſupplementum veniant, integram ex eiſdem conficere narrationem ac Hiſtoriam: altera vero, eorum in ſupplementum Hiſtoricorum, qui aliquibus tantum uti potuere monumentis, Scriptores alios advocare, qui arcaniora, vel antiquiora, vel tutiora, vel ſpecialia magis monumenta aut habuerunt, aut etiam detexere, etiamſi Scriptores iſti non tanta fortaſſe gaudeant, quanta ceteri, qui ſupplendi ſunt, antiquitate.

III. Utriuſque cogitandi ac ſupplendi rationis obviæ ſe produnt cauſæ: certum quippe eſt, eorum præcipue Principum, qui magnarum pars magna rerum fuere, quemadmodum etiam maximarum in Imperiis mutationum, acta & geſta in Auctorum nullo omnia contineri. Sic aliqua de Auguſto habet Dion Caſſius, quæ fruſtra apud Suetonium quæſiveris, fruſtra apud Tacitum, fruſtra apud alios vitæ illius Cæſaris Scriptores: quare alii ex aliis ſupplendi ſunt, & aliquando etiam illis ex Auctoribus, apud quos idonea non crederentur inveniri poſſe rerum ad ipſum ſpectantium monumenta. Victoriam ejus Actiacam celebrans Horatius, inquiebat Epod. IX.

Romanus (eheu poſteri negabitis)
Emancipatus fœminæ
Fert vallum & arma miles, & ſpadonibus
Servire rugoſis poteſt;
Interque ſigna turpe militaria
Sol aſpicit Canopeum,
Ad hoc frementes verterunt bis mille
Galli canentes Cæſarem.

Richardus Bentlejus, qui legi heic vellet *Canopium*, animadvertit in notis, nullum jam veterem exſtare rerum Auguſti, aut victoriæ Actiacæ Scriptorem, qui ejuſmodi bis mille Gallos equites memoret ab Antonio ad Auguſtum ante prælium transfugas, per quos hic victoriam conſequutus eſt, præter ipſum Horatium. Dion itaque, & Suetonius, & Tacitus, & cuncti, qui Auguſti in vita Actiacum bellum narraverunt, videntur ex Horatio ſupplendi.

IV. Idem quod in vita Auguſti, evenit in vita Alexandri: aliqua ſcilicet de Macedone Ariſtoteles tradidit, quæ alii omiſerunt; aliqua Plinius, alia Plutarchus tangunt, quæ non exſtant apud Arrianum: multa Arrianus adfert, quæ apud Diodorum deſiderantur: multa refert Curtius, quæ in nemine reperias: ita apud Poliænum, ita apud Ælianum &c.; quare alii ex aliis certe ſupplendi ſunt. Exemplum habemus apud Jo-

Johannem Clericum, ubi Curtium ex Arriano ſupplendum duxit. Cum legerem prælii ad Iſſum deſcriptionem, inquit Clericus, nondum inſpecto Arriano, plane mihi ex ignorantia Geographiæ errare videbatur, quemadmodum ſæpe alibi, quod circumſtantiam neceſſariam omiſerit. Ait eadem nocte & Alexandrum ad fauces, quibus Syria aditur, & Darium ad eum locum, quem Amanicas Pylas vocant, perveniſſe. Veniebat Darius ab Euphrate, Alexander vero ab urbe Tarſo. Itaque videbatur, ut Aſiæ minoris tabulam præ oculis habenti patere ſtatim poteſt, Alexandri quidem dextrum cornu ad mare Cilicum fuiſſe, lævum ad montes; contra vero Darii dextrum cornu debuiſſe ad montes ſpectare, ſiniſtrum ad mare. Attamen Curtius *a mari dextrum Darii cornu tectum* ait; lævum vero Alexandri *ad mare pertinuiſſe*. " Hæc concoquere non
" poteram, ſubdit Clericus; at conjectis
" oculis in Arrianum, tota res patuit. Nar-
" rat enim ille, Alexandrum, cum audiſ-
" ſet in Syria ad Sochos eſſe Darium,
" Mallo ad Pylas iviſſe, earumque angu-
" ſtias ſuperaſſe, & ad Maryandrum urbem
" caſtra poſuiſſe; Darium vero, qui neſcie-
" bat ab Alexandro Amanicas Pylas eſſe
" ſuperatas, eas tranſiiſſe, ut in Ciliciam
" iret, & Iſſum occupaſſe. Itaque ut præ-

F 3 " lium

" lium iniretur, oportebat Alexandrum qui-
" dem. veluti e Syria in Ciliciam redire;
" contra vero Darium convertere agmen,
" ut Alexandro occurreret. Occupatis enim
" Pylis Alexander, inſtructo ad prælium
" exercitu, dextrum cornu ad montes ha-
" bebat, ſiniſtrum vero ad mare. Res eſt
" clara, & ſitus cornuum utriuſque exer-
" citus, rem ita ſe habuiſſe oſtendit. Ea
" autem quo magis mira res eſt, eo minus
" a Curtio prætermitti debuit; cum præ-
" ſertim omiſſa tam inſigni circumſtantia,
" ejus narratio intelligi non poſſet. Una
" nocte, & Alexandrum ad fauces, quibus
" Syria aditur, & Darium ad eum locum,
" quem Amanicas Pylas vocant, perveniſſe
" dicit. Certe Syriæ portæ, ut docet Strabo
" libro XIV., ſunt ultra Maryandrum,
" Amanicæ vero non procul ab Iſſo. Sed
" dicendum omnino erat, factum hoc eſſe
" utriuſque exercitus errore, qui hoſtem
" quærebat ubi non erat: quod profecto
" dignum erat notatu (1)." Aliis etiam in locis ſupplet Clericus Curtium ex ceterorum narrationibus vitæ Alexandri Scriptorum.

V. Integra condi volumina facili negotio poſſent, ſi nonnulla eorum numerare

tan-

(1) *Judic. de Q. Curt. cap. 5.*

tantummodo placeret, quæ tametſi haud parvi momenti, ac generali cum Hiſtoria, cumque celebriorum geſtis Principum conjuncta, unico tamen ab Auctore litteris fuere conſignata. Heinc egregii recentiores, qui vel Imperatorum vitas, vel Hiſtoriam aut Romanam, aut Auguſtam ſibi recenſendam ſumpſere, Tillemontius, Echardus, Gibbonus &c. in ſupplementum præcipuorum veterum Hiſtoricorum alios minoris notæ Auctores adhibere conſueverunt, proptereaquod priores illi aliqua ſcitu digna ſæpenumero omiſerint, per poſteriores commodum ſupplenda. Herodianus, vix Alexandrini Grammatici nomine ab aliquibus donatus, nonnulla novit Aulæ Cæſarum myſteria, quæ fugerant optimum Hiſtoricum Dionem: & Xiphilinus, qui hujus compendium contexuit, multa patefecit, quæ illi occultiſſima fuere. Ezechiel Spanhemius, in præfatione ad Opera Juliani Cæſaris, magno ea in pretio habenda eſſe contendebat, proptereaquod plurima in eiſdem reperiantur ab Hiſtoricis temporum illorum prætermiſſa; & Hadrianus Valeſius in præfatione æque ſua ad Ammianum Marcellinum, celeberrimo huic Scriptori omnes Europæ populos dediſſe operam animadvertit, proptereaquod plurima in eo contineantur, quæ ex toto omiſſa fuiſſe ab Hiſtoricis ſui

temporis conſtabat. Mirum autem eſſe prorſus debet, ut dum doctiſſimi hi editores pretium Operum Juliani, & Ammiani Marcellini ex eo præſertim repetunt quod ex eiſdem plurima eruantur a ſynchronis Scriptoribus prætermiſſa, unde iſti ex illis ſuppleri valeant; adverſarii noſtri ex oppoſito, nullius pretii narrationem Flavii habendam cenſeant, propterea quod eadem apud poſteriores aliquos Scriptores non inveniatur, unde iſti per Flavium non valeant ſuppleri.

VI. Haud nos quidem fugit quid iidem heic forent nobis reſponſuri, Julianum ſcilicet, ac Ammianum Marcellinum jure poſſe in ceterorum ſupplementum advocari, quia ipſi de rebus ſuorum temporum ſcripſere, contra atque evenit in Flavio, qui de Hieroſolymitana Alexandri Profectione ſcribens, de re egit, quæ ſua ad tempora non pertinebat. Verum, præterquamquod ejuſmodi diſcriminis neque Hiſtorici, neque Critici rationem ſemper habuerunt, quippe narrationes Ariſtobuli & Ptolemæi, qui Alexandrum comitati fuerant, poſterioribus adhuc ex Scriptoribus, ut in proœmio ſuo proteſtatus eſt, ſupplendos cenſuit Arrianus; ſoleantque interpretes Diogenem Laertium, Cornelium Nepotem, Plutarchum, Salluſtium &c., qui de viris illuſtribus data opera egerunt, aliis ex Auctoribus, ne

quidem

quidem ſynchronis, ſupplere; ipſique adeo vitæ Alexandri Scriptores, qui ſunt reliqui, & cuncti ab illius Regis ætate haud parum diſſiti, alii ex aliis ſoleant, ut vidimus, ſuppleri; illud accedit maxime, quod ſuperius dicebamus, Auctores etiam illos, qui minori gaudent vetuſtate, poſſe, & jure optimo ſolere in antiquiorum ſupplementum adhiberi, ſi illi arcaniora ac tutiora, & ſpecialia magis invenerint, ſecumque ferant ac proferant in medium monumenta, quibus iſti caruere. Exemplum eſſe poteſt vir omnino ſummus, Muratorius, qui licet illis prope omnibus poſterior, qui Italicam Hiſtoriam aut generatim, aut ſingillatim conſcripſerunt, eos tamen omnes ſexcentis potuit in locis feliciter ſupplere: nec alia id de cauſa, niſi ob innumera ab ipſo reperta ac eruderata & diligentiſſime conſiderata, inedita antea ac impervia monumenta, quæ Hiſtoricis antiquioribus fuerant plane incomperta.

VII. Idem poſſumus, immo & debemus ſummo jure dicere de Flavio: qui, prætermquamquod prope omnibus nunc reliquis antiquior eſt ethnicis Scriptoribus vitæ Alexandri; etiamſi poſterior adhuc eſſet, ac de re dixerit ante ſua tempora a Macedone peracta; de re tamen ſcripſit peracta ab eo Hieroſolymis in Templo, ac in fa-

vorem

vorem Judæorum, ideoque Judaicis ex monumentis eruenda, uti revera ex publicis ac certis & ſynchronis Judaicæ gentis actis eam eruit Joſephus, quibus actis & monumentis ethnici Scriptores procul dubio caruere. Quandoquidem igitur iſti rem memoriæ digniſſimam cenſentur omiſiſſe, propterea ex Flavii narratione ſupplendi ſunt, quemadmodum præſtitit qui Arrianum tanta cum laude interpretatus eſt cl. Nicolaus Blancardus illuſtrium Zelandiæ Ordinum Hiſtoricus, qui nullam habens ſilentii Arriani rationem, in præfatione, ſeu nuncupatione elaboratiſſimæ editionis, quam vulgavit, ita Mœcenates ſuos alloquutus eſt: *Magnus erat Alexander cum inter domeſticos motus, & acciſas opes, fiduciam habuit Babylone, Suſaque, & totius Orientis Imperium ſibi deſpondere: magnus, cum adverſus excitam ſeditionibus ſuis Aſiam ſletit Theſſalicus equitatus & torva ſexdecim millium Phalanx: magnus, ſimulatque continens, cum Virgines Regias & excellentis formæ tam ſancte habuit, quam ſi eodem quo ipſe parente genitæ forent: magnus, & clemens, cum Præſuli Hieroſolymorum occurrenti cum Sacerdotibus & candido populo, pompa nova & venerabili remiſit iras: magnus cum per efferas regiones &c.* Non potuit veneratio, quam erga Arrianum Blancardus habuit efficere, quin eum ex Flavio duxerit ſupplendum.

VIII. Freinshemius ſuis in Curtium ſupplementis ut magis idoneam exhiberet rerum geſtarum a Macedone imaginem, fragmentis uſus eſt ex Pauſania, Athenæo, Strabone, Valerio Maximo, Solino, Dione Chryſoſtomo, Cedreno, Tzetze, Glyca &c. deſumptis. Ad Curtium abſolvendum proclivior quum eſſet, profectionem, de qua agimus, eum tetigiſſe ſuſpicatur in amiſſis. Certe omittendam ipſe non duxit, ceu neceſſarium ad Curtii Hiſtoriam ſupplementum, ſcribens: " Tantam in periculis Alexandri audaciam, ut ab ipſius ingenio " profectam non dubito, ita frequentibus " prodigiis & ominibus auctam, confirmatamque crediderim, poſtquam decreto " Numinis clariſſimis, maximiſque rebus " deſtinatum ſe conjecit. Adhuc in Macedonia degenti ſpecies humana auguſtior adparuiſſe dicitur monentis, ut ad " evertendum Imperium Perſicum quamprimum in Aſiam ſequeretur: atque in memoriam inſomnii revocatum eſſe Regem " quum in Phœnice res gereret obvio Judæorum Sacerdote, in quo recognovit " ornatum, quem pridem in objecta imagine per quietem viderat. Nam inter obſidionem Tyri vicinis Regibus, populiſque deditionem & delectus imperaverat. " Sed Judæi, qui Hieroſolyma famoſam

" urbem

" urbem tenebant, fœdus cum Dario cauſ-
" ſati, Macedonum amicitiam detractabant.
" Eam gentis contumaciam punituros, in
" Judæam infeſto agmine perrexit. At Je-
" roſolymitani ut Regis iram lenirent, cum
" uxoribus, liberiſque ſupplices in occur-
" ſum venientis effunduntur. Sacerdotes
" primi ibant tenuiſſima byſſo amicti: hos
" deinde populus candido & ipſe veſtitu
" ſequebatur. Agmen ducebat Jaddus ſum-
" mus ſacrorum Antiſtes cum ſolemni or-
" natu. Adpropinquantis pompæ venuſta-
" tem, ſpeciemque miratus Rex, equo de-
" ſiliens, ſolus proceſſit, adoratoque Dei
" nomine, quod aureæ laminæ inſculptum
" cidaris Pontificis præferebat, ipſum quo-
" que reverenter ſalutavit. Improviſa res
" omnium, qui cum eo advenerant, ani-
" mos in ſtuporem dedit. Judæi ex pro-
" pinqui exitii metu non in ſpem incolu-
" mitatis modo, ſed inopinatæ gratiæ fidu-
" ciam erecti circumibant Regem, laudes,
" gratulationemque & vota miſcentes. Con-
" tra Syrorum Reguli, qui ob crebras,
" acerbaſque cum Judæis ſimultates Ale-
" xandrum ſequuti fuerant, inimicorum ſup-
" pliciis, ut rebantur, infeſti animi libidi-
" nem expleturi, ſtupebant, dubii vera ne
" eſſent quæ intuerentur, an aliquod ocu-
" lorum ludibrium vana imagine ſenſus fal-
" leret.

" leret. Neque minus Macedones inſolen-
" tia ſpectaculi ſuſpenſos habuit: donec
" propius accedens Parmenion interrogare
" auſus eſt, quid ita externis cæremoniis
" honorem deferret, quem a tam fœda
" gente etiam recipere vix tanto Rege di-
" gnum eſſet? Atque ille inſomnium ſuum
" retulit. Deinde urbem ingreſſus in pul-
" cherrima æde ritu recepto ſacrum Deo
" fecit, & dona Templo intulit. Inſpexit
" etiam ſacros gentis Codices, quibus con-
" tinebantur præſcripta vaticinia: inter quæ
" Tyrum Macedonibus ceſſuram, & Perſas
" a Græco quodam debellatum iri, clare
" ſignificabatur. Eum ſe fore interpretatus,
" Judæis conceſſit ut domi, foriſque ſuis
" legibus, ritibuſque libere uterentur, &
" quia ſeptimum quemque annum agricul-
" turæ exſortem agunt, etiam tributorum
" iſta portione ſolverentur (4)." Prolixum heic quidem habes teſtimonium. Sed quare? Quia, ut verbis utar Henrici Snakenburgii in præfatione ſua ad Curtium: doctiſſima Johannis Freinshemii ſupplementa omnium laudem & ſuffragia abſtulerunt, adeo quidem, ut optabilis propemodum hæc Q. Curtii jactura, quam ille opportune reſarſerit, Tellierio fuiſſe videatur.

IX.

(4) *Supplem. in Lib. Curt. II. cap.* 11.

IX. Si præſtantiores conſulimus in præſens viros, qui aut univerſalem Hiſtoriam, aut Hiſtoriam Judæorum, aut vitam Macedonis ſcripſere (5); viros, inquam, illos, qui face critices omnia librarunt, quique popularibus a traditionibus longe abfuerunt, iſti omnes in præſidium ac ſupplementum Gentilium Auctorum, qui Pericam Alexandri expeditionem deſcripſere, Flavii narrationem adoptarunt. Ejuſmodi fuere immortalis Boſſuetus, Angli Scriptores Hiſtoriæ univerſalis, Uſſerius, Petavius, Pereirus, Iſaac Voſſius, Relandus, Havercampus, Rollinus, Auctor Judaicarum Epiſtolarum Gallus, Raderus, Schickardus, Jameſonus, Jacobus Baſnagius, alii majorum gentium in Republica litteraria viri, innumeros ut prætereamus minorum gentium Scriptores, & quotquot Danielis Prophetiam interpretati ſunt, & quotquot de Religione ſolliciti fuerunt, & illos uſque, qui Religionem, non dixerim procul, ſed immani etiam odio habuere (6).

X. Quemadmodum enim ex laudatis Scriptoribus non pauci Herodotum, Xenophontem,

(5) *Hiſtoire de Philippe & d'Alexandre le Grand, Rois de Macédoine, dediée au Roi de Danemark par le Sieur de Bury*. 1760.

(6) *Dictionnaire univerſel des Sciences Morale, Economique, Politique, & Diplomatique, ou Bibliotheque de l'Homme d'Etat & du Citoyen. Tom. II. p.* 223.

tem, Cteſiam, Juſtinum geſta Cyri majoris referentes, neque tamen aliquid loquentes ſatis clare de Cyri decreto circa libertatem Judæorum; quemadmodum, inquam, ex laudatis Scriptoribus non pauci allegatos Hiſtoricos ex ſacris ſupplent Litteris ubi de ejuſmodi decreto loquendum eſt; ita Diodorum, Arrianum, Curtium, Plutarchum, aliosque Alexandri Hiſtoricos ſupplent ubi Profectio Hieroſolymitana Regis memoranda eſt. Si perperam itaque diſſereret qui ex priorum ſilentio Hiſtoricorum Judæos non fuiſſe a Cyro libertate donatos propugnaret; ita ratiocinatur perperam qui ex poſteriorum Hiſtoricorum ſilentio Macedonem non ſalutaſſe Jaddum, non obtuliſſe victimas in Templo, nec accepiſſe Oraculum contendit. Nam tametſi eam auctoritatem, quæ Hiſtoriam ſacram decet loquentem de Cyro, Hiſtorico Judæorum non tribuimus, nec æqualem præſtandam cogitamus utriſque fidem; eam tamen Flavio tribuendam arbitramur, quæ probatis Hiſtoricis, eorumque narrationibus debetur, quæque facto convenit, quod evidenti nullo labefactari poteſt argumento.

CAPUT XI.

CAPUT XI.

De Supplemento ad narrationem Flavii Joſephi.

I. A Deo autem verum eſt, Scriptores in re præſertim hiſtorica eſſe alios ex aliis ſupplendos, ut de Alexandri facto pertractantes, non ethnicos modo Hiſtoricos ex Flavio, ſed Flavium ipſum aliis ex monumentis ſupplere debeamus. Manifeſtum id erit inquirendo tempus adventus Alexandri Hieroſolyma. Quum enim diverſi inter ſe ſint non veteres modo, ſed recentiores etiam Chronologi in epocha aliquot geſtorum Macedonis figenda, quamvis iiſdem inter ſe & cum factorum ſerie collatis emergere aliqua fax poſſit, unde id, quod fuerit veriſimilius, colligamus; attamen, niſi publicum aliquod monumentum acceſſerit, nihil umquam certi conſequemur.

II. Qui tempus ejuſmodi adventus conjiciendo inquireret, ita poſſet, niſi fallimur, ratiocinari. Tempore Iſſiaci prælii inſtabat hiems; paullo ſiquidem ante prælium monentibus qui in caſtris Darii erant Græcis ut divideret copias, reſpondit inter cetera Perſarum Rex, *trahendi belli vix ullam eſſe rationem; tantæ enim multitudini,*

utique

utique cum jam hiems inſtaret, in regione vaſta, & invicem a ſuis atque hoſte vexata, non ſuffectura alimenta (1). Liquet hoc etiam ex ſequentibus; nam non multo poſt prælium dicuntur Gangabæ (ſic Perſæ vocabant humeris onera portantes) Damaſco egreſſi ut Gazam Regiam inde efferrent, *cum frigus tolerare non poſſent (quippe & procella ſubito nivem effuderat, & humus rigebat gelu), tum adſtrictas veſtes, quas cum pecunia portabant, auro & purpura inſignes induiſſe* (2). Idque confirmare videtur Arriani teſtimonium ſcribentis: *Hic prælii exitus fuit, Archonte Athenis Nicoſtrato, menſe Januario.* τῦτο τέλος τῇ μαχῇ ἐκείνῃ ἐγένετο ἐπὶ Ἄρχοντος Ἀθηναίοις Νικοςράτυ, μηνὸς Μαιμακτηριῶνος (3). Poſt quod, ut idem ſubdit, Syria ſubacta fuit, tum Phœnice, excepta Tyro, quæ ab Alexandro obſeſſa eſt (4).

III. Tyri obſidionem inchoatam menſe Martio fuiſſe exiſtimavit Johannes Clericus (5); & quum ſeptimo menſe poſtquam oppugnari cœpta fuerat, capta a plurimis dicatur, Septembri expugnatam fuiſſe ſequeretur. Haud adeo differendam tamen

G ejuſ-

(1) *Curt. Lib. III. cap. 8.*
(2) *Curt. Lib. III. cap. 13.*
(3) *Lib. II. Exped. Alexand.*
(4) *Lib. III. Exped. Alexand.*
(5) *Judic. de Curt. cap. 7.*

ejuſmodi expugnationem monere videtur Arrianus ſcribens: *atque ita quidem Tyrus capta fuit, Archonte Athenis Aniceto, menſe Junio.* Τύρος μὲν δὴ οὕτως ἑάλω, ἐπὶ ἄρχοντος Ἀνικήτου Ἀθήνησι, μηνὸς Ἑκατομβαιῶνος (6). Si ſeptem menſes obſidio perduravit: in quo tamen non omnes Hiſtorici conveniunt, tales menſes, non integros, ſolidoſque fuiſſe oportet, ſed inchoatos tantum & proleptice acceptos; exeunte propterea Januario cœptam obſidionem, & Julio ineunte abſolutam fuiſſe veriſimile videbitur, ſi præſertim animadvertimus, Alexandri copias in multo calidiore climate, quam in Macedonia egiſſe.

IV. Poſt diuturnam adeo, difficilemque obſidionem, tempore ad quieſcendum militi opus fuiſſe cenſent nonnulli; ſed breviſſimo alii contenti ſunt, quum recentibus victoriis tunc fervere militares animi deberent, geſtiretque Alexander maritimis oris undique potiri, ac Ægyptum cito petere, ut Perſicam ad expeditionem omnia accelararet. Adparatus quidem bellici, reique frumentariæ habenda erat ratio, de qua vix aliquid reperitur apud veteres Alexandri Scriptores, nonniſi prælia ac bella memorantes. In celeritate tamen itinerum conficiendorum nullum ex omni memoria antiquitatis

(6) *Lib. II. Exped. Alexand.*

tiquitatis ac poſteritatis Alexandrum habuiſſe parem, conſtans fama eſt apud omnes, unum ſi Julium Cæſarem excipias, quibus propterea celeritas ſæpe adeo victoriam peperit; quum bellicis in negotiis amplius ipſa prodeſſe ſoleat, quam virtus. Haud igitur multo poſt tempore ab expugnata Tyro Gazam obſeſſum ivit Alexander, cujus obſidionem urbis uno duraſſe menſe, in allegato de Q. Curtio judicio præconceptum habet laudatus Johannes Clericus.

V. Si quis itaque poneret, menſe Julio expugnatam fuiſſe Tyrum: quieviſſe exercitum integro ſequente menſe: Septembrem in bellicæ ac frumentariæ rei adparatu, inque itinere exercitus a Tyro ad Gazam conſumptum fuiſſe, ſequeretur, hanc Octobri fuiſſe ſuperatam; ideoque Alexandrum Novembri Hieroſolyma adiiſſe: quum niſi Decembri, aut Januario ſequentis anni Regem ſe in Ægyptum haud conferre potuiſſe mox citatus Auctor contendat, ac non ſpernendis confirmare ſatagat momentis.

VI. Hæc tamen omnia ſe ſe ultra veriſimilitudinis cancellos non extendunt: quare ſolidiore adhuc aliquo monumento indigent ſuppleri, quo firmiorem certitudinem acquirant. Hoc autem opportune prorſus ſuppeditat Relandus in adnotationibus ad eum, de quo nunc agimus, Flavii Joſephi locum:

G 2 *Quo*

Quo nam tempore, inquit ille, *Alexander Hieroſolymitanam urbem aſcendere contenderit*, *docemur in Megillath Taanith*, *videlicet menſe Casleu*, *quod fere cum Novembri coincidit*; *nam diem XXI. hujus menſis feſtum egerunt*, *quod favore Alexandri de Samaritis triumpharint*; privilegia ſcilicet ac immunitates obtinuerint a Rege, quas negavit Samaritis. Hæc autem epocha quam bene convenit cunctis cum partibus itineris, de quo mox dicebamus, ac Syriacæ expeditionis Alexandri! Quid vero rem magis teſtatam facit, quodve certius & facti, atque epochæ ejus argumentum, quam feſti hujus diei inſtitutio; quum monumentorum eorum, quæ Hiſtoriæ uſui ſunt maxime, primum obtineant locum publica ejuſmodi ſolemnia, quæ hominum in memoriam res geſtas revocare ſolent, & ut in ea diutius reſideant efficere? Feſtum illud vero numquam inſtituiſſent, hoſtes ac victores ſuos immani, æternoque odio proſequi ſoliti Judæi, niſi amice, immo magnifice eos tractaſſet Alexander, & ſingularia ipſi ab eo accepiſſent beneficia: ut heic Æram contractuum omittam, proptereaquod diſputent ipſi Judæorum magiſtri, an ab anno incœperit Alexandri primo, an a ſexto tum quum debellatis Perſis Monarchia Græcorum erecta eſt, an ab Alexandri morte, an denique a Se-

Seleucidarum in Syria Regno: de quibus plurima Vorſtius, Leydecherus, aliique habent, ubi de vario agunt Reipublicæ Judæorum ſtatu. Sed jam ſatis, ut videtur, dictum eſt de iis, quæ adverſarii ex Ethnicorum vel teſtimonio, vel ſilentio objecerunt. Nunc ad ea accedimus, quæ ex natura ipſa facti, vel ex adjectis ejus opponunt, ut Joſephi narrationem labefactent.

CAPUT XII.

De Somnio Alexandri.

I. ILlo de ſomnio ita ſcripſit Vandalæus: quod porro ad Regis ſomnium attinet, videtur ille viſiones habuiſſe propheticas ac vere divinas jam ante expeditionem: in ipſa vero expeditione dæmoniacas ob ſomnia illa, quæ ab Arriano, & Curtio, & Plutarcho referuntur. Hujuſmodi ſomnia in oppugnationibus Tyri, & Gazæ Alexandro evenerunt: quibus captis, ſi Flavio fides habenda eſſet, recordari debuit Rex ſomnii in Macedonia jam viſi tum quum Hieroſolyma acceſſit, unde monitu illius ſomnii Deum adoraverit: quo tamen facto ad Jovem Hammonem pertendit, eumque ſuper expeditione Perſica iterum conſuluit, atque ejus reſponſa æque pro divinis

 agnovit.

agnovit. Quis autem hæc inter ſe convenire poſſe ſibi perſuaſerit (1)?

II. Animadvertunt alii, Flavium, quemadmodum plurimis in rebus, ita in hac, ethnicos Hiſtoricos fuiſſe imitatum, qui tam ſæpe adparitiones Deorum in ſomniis narrant Imperatoribus, oppida dum obſiderent, factas, quare pacem illi obſeſſis civitatibus & hoſtibus fecerunt. Quo itaque, ſubdunt, veluti Dei juſſu immunes ab omni infortunio atque excidio fuiſſe tunc Judæos Hiſtoricus eorum prædicaret, apparuiſſe ſcripſit Macedoni in ſomnis Jaddum, ut ita gentem ſuam præſidio Numinis tectam fuiſſe, Gentilibus oſtentaret.

III. Oppoſita alii, quod mirum eſſe debet, procedunt via. Nam inquiunt: ſi monitus in ſomnis modo fuiſſet dictus Alexander, ne Hieroſolyma bello peteret, atque ut ab omni clade immunem Dei populum ſervaret, tale ſomnium facile admitti ac libenter poſſet. Aſt quonam pacto quis credat, Deum Optimum Maximum, concordiæ inter homines ac pacis auctorem, impellere Alexandrum in arbitrarium, injuſtumque bellum, ſeu potius in magnum illud latrocinium voluiſſe: quod ut omnibus de gentibus a Macedone ſubactis dici forte

(1) *Diſſert. ſup. Ariſt. cap. X.*

forte non convenit, ita poſſe de pleriſque, ipſi Regis fautores concedunt?. Quum bellum omne, quod aut mere defenſivum, aut omnino neceſſarium non ſit, juſtitiæ una ac humanitati adverſetur, credi facile non poteſt, ſomnium fuiſſe cælitus immiſſum, in quo ſummus veri Numinis Sacerdos Regem fuerit hortatus ut confidenter trajiceret in Aſiam; ſpoponderitque æternum Numen hoſtilibus ſe præliis Imperium Perſarum ipſi traditurum.

IV. Nos tamen Vandalæi meditatione nihil levius cogitari poſſe exiſtimamus. Quis enim imprimis certiores nos faciat de dæmoniacis illis Alexandri ſomniis? Num Scriptores illi, qui ea, quæ a Macedone meridiana in luce geſta ſunt, pene ignorarunt, idonei teſtes nocturnorum erunt Regis ſomniorum? Sed talia ſomniorum ludibria revera accidiſſe concedamus. Quid tum vero? Num dæmones fata Alexandri conjicientes, dare operam non poterant, ut futuras ejus victorias ſomniis ac oſtentis portenderent, ſicque ſectatores ſuos ethnico in cultu confirmarent? Profecto, ſi alicujus ponderis Vandalæi animadverſio eſſet, ſequeretur, vel neminem eorum, qui ſomnium accepiſſet aliquod à Deo miſſum, vana potuiſſe, aut naturalia, aut dæmoniaca ſomnia impoſterum habere; vel eos, qui vana, aut

naturalia, aut dæmoniaca aliquando paſſi ſunt ſomnia, accipere numquam inde potuiſſe immiſſam a Deo, vel a Superis viſionem: quæ profecto illationes contra communem ſenſum, contra rectum ratiocinium ſunt, contra perpetuum experimentum. Antiquiſſima profecto, ſemperque fuit, quemadmodum & eſt, atque æternum erit populorum omnium, omniumque gentium atque hominum opinio ac perſuaſio, dari non naturalia modo & vana, ſed mirifica etiam quædam, inſolita, inuſitata, divinatoria, ac immiſſa a Superis ſomnia (2). Quum vero Ethnici adeo ea obſervarent, propterea ipſorum perſuaſioni, per συγκατάβασιν quandam veluti ſe ſe conformantem Deum, ſomnia rerum eventus naturali in ordine portendentia illis aliquando immiſiſſe animadvertunt ſacrorum Bibliorum Interpretes (3). Eiſdem refertæ ſunt ſacræ utriuſque Fœderis Paginæ: utque cetera omittamus, tria ſatis eminent Regum ſomnia, qui extra Dei populum fuere, Abimelechi, Pharaonis, & Nabuchodonoſorris, cui quum Imperii Babylonici everſio, viribus Alexandri denique futura, fuerit a Deo καθ' ὅραμα oſtenſa, cur illi æque non potuit præſignificari;

(2) *Lettres Juiſes Tom. VI Lettre* 171.
(3) *Calmet Dict. S. S. T. II. v.* Somn. *& Tom. VII. Comment. Diſſert. in Magos &c.*

ficari, qui eam peragere debebat? Certe, ſi mirifica immitit aliquando Ethnicis Deus ſomnia, id tunc præſertim evenire oportuit, quum de rebus exequendis actum eſt, quæ ad divinum aliquod inſigne conſilium naturali in ordine pertinebant. Manifeſtaverat jam vero antea per Prophetas ſuos, ac præcipue Danielem, Deus, Orientis Imperium, quemadmodum ab Aſſyriis ad Medos, ac deinde a Medis ad Perſas, ita demum a Perſis ad Græcos fore transferendum: quumque poſtremum hoc victoriis Alexandri obtinendum ſtatuiſſet, quid mirum, ſi ipſum de conquirenda Aſia adhuc deliberantem, voluerit monitum in ſomnis ad trajiciendum confidenter, atque Macedonum copiis præſto futurum ſpoponderit auxilium divinum: quippequod ad ſacrorum complementum Oraculorum id omnino pertineret!

V. Nihil ſane profana frequentius in Hiſtoria ſomniorum ſtratagemate, quæ exercituum Duces habuiſſe ſimulaverant. Erant illi in eadem ac veteres Legumlatores navi: quemadmodum enim iſti, ut hominum moralitatem, ſic dixerim, obſtringerent, leges ſe ſuas a Deorum aliquo accepiſſe evulgabant; ita illi ut militarem turbam ad impervium aliquando incitarent facinus, aut in ſpem erigerent victoriæ, viſum abs ſe in

ſomnis

ſomnis aliquem Deorum in vulgus profere-bant, qui obſidiones, aut prælia ex voto ſucceſſura promiſiſſet. Factum etiam haud ſemel, ut oppida ſe aliqui capere non poſſe intelligentes, quo famæ conſulerent ſuæ, ac ne prorſus inglorii recederent, monitos ſe in ſomnis ſimulaverint, ut obſidionibus deſiſterent. Qui talia tamen ſomnia intro-ſpexerit, ipſoſque accurate legerit Hiſtori-cos, qui ea retulerunt, eaque conferet cum ſomnio Macedoni immiſſo, & a Flavio nar-rato, nullo negotio intelliget quantum diſ-criminis inter utraque interfuerit.

VI. Et primo quidem, dum Alexander prope Hieroſolyma ſuum detexit Parmenioni ſomnium, præliaturus profecto contra hoſti-lem exercitum non erat, nec arcem aliquam oppugnaturus, quippe Judæi, coronata ur-be, portas aperuerant, Regique inermes cum Sacerdotibus obviam proceſſerant: quare illo ſtratagemate Rex non indigebat, ut vel animos militari turbæ adderet ad ag-grediendum, vel infecta re, ſub velamento ſomnii, diſcederet; ſed viſionem olim ha-bitam amico indicavit ſuo, ut ex ea hic intelligeret, cur prior ipſe Pontificem Ju-dæorum ſalutaſſet. Non Deum aliquem mi-litibus ſuis notum, abs ſe per quietem vi-ſum evulgavit Rex, quemadmodum Duces ethnici fecere, eadem ratione, qua veterum

Le-

Legumlatores aliqui notos parituris aut Heroas, aut Deos, ſuarum Auctores legum appellabant; ſed hominem modo aliquem ſibi olim apparuiſſe dixit eo in habitu, in quo Jaddum tunc primum oculis videbat apertis, & cui ſimilem alium tali in veſte nec ipſe, nec ullus ex ſuis militibus conſpexerant. Denique tantum abfuit, ut Joſephus ſibi finxerit, Jaddum Macedoni in ſomnis adparentem, fuiſſe hunc hortatum, ut Hieroſolymorum obſidione abſtineret, quare Judæos Dei juſſu omni caruiſſe maleficio oſtentare voluiſſet, ut Jaddum in adparitione illa ne verbum quidem de Judæis loquutum induxerit, ſed ab eo tantummodo hortatum Regem dixit, animos ut ſumeret ad Perſicum Imperium (ſub quo ſua ſorte contenti eſſe videbantur Judæi) evertendum.

VII. Sternunt hæc enim vero jam viam ad poſtremum nodum ſolvendum: quippe, ſi bellorum ope translatum voluit Deus Orientis Imperium ab Aſſyriis ad Medos, & a Medis ad Perſas, cur æque velle non potuit, ut illud idem, ope belli, a Perſis transferretur ad Græcos? Et primum quidem, quotuſquiſque ſacrarum Litterarum eſſe tam rudis poteſt, ut ignoret Dei per Prophetas verba, quibus proteſtatus fuit traditurum ſe in captivitatem filios Iſrael propter peccata eorum, nominatis aperte Principibus

cipibus ac Regibus, quos cum exercitibus miſſurus erat, quoſque revera miſit, ad populum ipſum ſuum perduellem debellandum (4)? Declaravit æque per Iſaiam Deus, miſſurum ſe in Babylonem Cyrum ad eam, quemadmodum evenit, expugnandam (5). *Hæc dicit Dominus*, inquiebat Jeremias, *ecce ego ſuſcitabo ſuper Babylonem, & ſuper habitatores ejus, qui cor ſuum levaverunt contra me, quaſi ventum peſtilentem, & mittam in Babylonem ventilatores* (Darium, & Cyrum) *& ventilabunt eam, & demolientur terram ejus* (6). Quemadmodum autem in Iſaia, & Jeremia Oracula habebantur de Cyro Babylonem everſuro, ita in Daniele de Alexandro everſuro Imperium Perſarum; & quemadmodum quia Cyrus de ſe vaticinatum in Iſaia intellexit, idcirco Judæos in libertatem remiſit, Templum reſtitui juſſit, & Jeſum filium Joſedec, Sacerdotem magnum Hieroſolymis conſtituit; ita Alexander, eum ſe eſſe, qui in Danielis vaticinio ſignificaretur intelligens, propterea Deo offerri voluit victimas in Templo, ac Judæis incolumitatem non ſolum, ſed quæ poſtulaverunt omnia conceſſit.

VIII.

(4) *Ezechiel. XXXVIII. XXXIX.*
(5) *Iſai. XLIII. XLV. XLVI. XLIX.*
(6) *Jerem. L. 1. 2. 3. LI. 1. 2. &c.*

VIII. Omittimus heic tot Oracula divina, cum in vetere, tum novo in Fœdere contenta, de futuris imperio, voluntate, ac permiſſione æterni Numinis, judicantis in Nationibus, præliis, ac bellis, ac everſionibus gentium, atque Nationum in publicorum vindictam delictorum; erant enim omnia illa mala voluntate Dei eventura, non criminis, ſed afflictationis, animadverſionis, punitionis, ac Divinæ opera juſtitiæ, ut omnes Sancti Patres tam ſapienter monuerunt. Neque tamen talibus cum Oraculis, aut viſionibus Propheticis exiſtimamus ſomnium Alexandri eſſe conferendum; ſcimus enim eam mentis illuſtrationem ethnico homini haud fuiſſe concedendam, quam contulit Deus Sanctis ſuis; nec aliud Macedonem, ſicut & alios Aſſyriorum, Medorum, ac Perſarum Reges, fuiſſe, quam divinæ virgas juſtitiæ, atque animata poteſtatis & voluntatis Divinæ inſtrumenta; ſed illud heic tantummodo contendimus, haud obſtaſſe, Deum Optimum Maximum, quamvis concordiæ & pacis inter homines auctorem, animos Macedoni addidiſſe ad Orientem invadendum, ſemel atque tot in locis auctorem ſe æque proteſtatus fuerit bellorum, quæ Aſſyrios, & Medos, & Perſas, totque alias Nationes, ac gentes, ipſamque adeo Hieroſolymorum urbem denique everterunt. IX.

IX. Porro, ex tot victoribus gentium, urbiumque domitoribus, atque populorum, de nullo contrariis magis ſtudiis actum eſt, quam de Alexandro. Senecam omittemus, & Lucanum, qui in eo vituperando modum excedentes, meritos ſe oſtenderunt, quibus nulla fides habeatur. Seria in re ludebat ſuis in *Cæſaribus* Lucianus; nec niſi Rhetorem aliquando egit ſuis illis elegantiſſimis inſaniis Q. Curtius. Sed nos heic morum Regis vindices non ſumus: & ſicut ipſum cis Euphratem magis virtutibus, quam vitiis præditum fuiſſe credimus; ita ultra Euphratem vitiis magis, quam virtutibus abundaſſe non negamus. Agimus itaque de ſola expeditione ejus in Orientem quatenus cum ſomnio, & cum Propheticis Oraculis, & cum facto, de quo loquimur, confertur. Sunt inter recentiores, qui Præceptorem Alexandri inſectentur, ac prope diris devovendum cenſeant, tamquam malorum omnium, quæ Rex in Aſia perpetravit auctorem, propterea quod adoleſcentem Principem nonniſi ad famam, ad gloriam, & ad immortalitatem nominis inflammarit. Verum, ut omittamus, tale cogitatum contra communem eſſe ac receptiſſimam perſuaſionem, juxta quam ex Ariſtotelis diſciplina tantus vir Alexander evaſiſſe creditus ſemper fuit, quantus futurus erat qui terrarum

Orbem

Orbem ſuo adjicere imperio debebat, quique multis atque adeo innumeris gentibus leges ac Magiſtratus dedit, eaſque ſublata feritate ad humanitatis cultum traduxit: quare exiſtimatum ſit, acrem atque vehementem Macedonis naturam, & ſtudio gloriæ mirabiliter incenſam tanti inſtitutione Præceptoris fuiſſe mitigatam: unde quod Orbem terrarum fama ſui nominis impleverit, Doctoris prudentiæ tribui: quod autem impotentis iræ ſigna aliquando dederit, ingenii acrimoniæ debeat adſcribi: ut hæc, inquam, omittamus, qui non recte aliquando ab Alexandro facta, Præceptori cenſent aſſerenda, næ illi ſe oſtendunt Themiſtium non legiſſe, qui tradidit, Alexandrum in multis quidem morem Ariſtoteli geſſiſſe; ſed in longe pluribus, immo frequenter Præceptori fuiſſe ſuo refragatum. Ἀλέξανδρος μὲν γὰρ ὁ φιλίππου, πολλὰ ἀκούσας Ἀριστοτέλους πολλάκις, πλεῖω καὶ παρήκουε (7). Num vero tametſi Stagyrita pacis bona, & incommoda belli exaggeraſſet, putabimus, adultum, militem, & victorem Alexandrum, eorum, quæ imberbis didicerat, fuiſſe recordatum? Recens ille Telemachus, qui meruit ſchola Principum appellari, perpetuam ſperabatur adducturus Mundo pacem; neque

(7) *Ordt. VIII. Edit. Harduin.*

neque tamen ante ipſum (laudatum ſatis & auditum nihil) tot fuerant expugnationes urbium, vaſtationes populorum, prælia horrida, atque horrida bella, quot poſt ipſum noſtris in regionibus fuerunt.

X. Alii potuiſſe Macedonem Græcorum nomine pœnas a Perſis repetere prope permittentes, cur tamen Bactrianos, Sogdianos, atque Indos bello petierit, interrogant. Qua in re dolendum eſt, celebres ejuſmodi Scriptores, tempore, quo magis debebant ejus recordari, oblitos primæ paginæ fuiſſe Xenophontis, ubi de amplitudine Regni Perſarum agens, ſcripſit: " Cyrus unus, qui Nationes Aſiæ ſingulas ſuis utentes moribus, legibuſque repererat, exigua cum Perſarum manu rem aggreſſus, Medis quidem, Hircaniſque lubentibus imperavit: Syros vero & Aſſyrios, & Arabes, & Cappadoces, & Phryges utroſque, & Lydos, & Cæres, & Phœnices, & Babylonios vi ſubegit: atque etiam Bactrianos, Indos, Cilices, Sacas item, Paphlagones, Megadinos, Nationes alias permultas, quarum ne quidem nomina quis commemorando recenſuerit, Imperio ſuo complexus eſt. Idem Græcos Aſiaticos, & Cyprios, Ægyptioſque factis per mare expeditionibus ſuam in poteſtatem redegit. ἦρξε δὲ καὶ Βακτρίων,

καὶ

καὶ ἰνδῶν, καὶ κιλίκων ὡσαυτος δὲ σακῶν, καὶ παφλαγόνων, καὶ μαγαδινῶν, καὶ ἄλλων δὲ παμπόλλων ἐθνῶν, ὧν ὐδ᾽ ἂν τὰ ὀνόματα ἔχοι τὶς εἰμεῖν. κ. τ. λ. (8) Ea Perſici magnitudo Imperii ad Darium uſque, & Alexandrum permanſit; poſt quos, etiamſi ſub Parthici appellatione Regni haud tam late patens Dominium Perſarum fuerit, tempore adhuc tamen Juliani Auguſti, ſeptingentis poſt Macedonem nempe annis, ita illud deſcribebat Ammianus Marcellinus: *Sunt autem in omni Perſide hæ regiones maximæ, quas Vitatæ, ideſt magiſtri Equitum curant, & Regis Satrapæ (nam minores plurimas recenſere difficile eſt & ſuperfluum), Aſſyria, Suſiana, Media, Perſis, Parthia, Carmania major, Hyrcania, Margiana, Bactriani, Sogdiani, Sacæ, Schytia ultra Emodem montem, Serica, Aria, Paropaniſadæ, Drangiana, Arachoſia, & Gedroſia* (9). Heinc Perſarum Reges ita effigiare moris erat, ut *σφαῖραν* ſive globum, qui Orbem hunc habitabilem indicaret, geſtarent manu, quo totius ſe terrarum Orbis Dominos eſſe oſtentarent; eumque morem a Perſis Regibus ad Romanos Cæſares manaſſe Lindenbrogius oſtendit (10). Pene vero nos fugerat, non tantum veros

H &

(8) *Lib. I. de Inſtit. Cyri init.*
(9) *Lib. XXIII. cap. 6.*
(10) *Obſerv. in Lib. XXI. Ammian. Marcell.*

& ulteriores Indos, ſed alios etiam populos, Indorum nomine veniſſe, ut Gisbertus Cuperus (11), & Franciſcus Oudendorpius (12) monuerunt. Quia tamen iſta apud eos, quos heic refutamus, lucernam olere fortaſſe videbuntur, propterea humaniorem & gratiorem ipſis Auctorem adducemus. *L'Inde en deça du Gange*, inquit ille, *fut longtems ſoumiſe aux Perſans, & voila pourquoi Aléxandre vengeur de la Gréce, & vainqueur de Darius pouſſa ſes conquétes juſqu'aux Indes* (13). Sed nonne ex notioribus Hiſtoricis ipſis Alexandri aperte intelligitur, Sogdianos, Bactrianos, atque Indos fuiſſe Perſarum Imperio ſubjectos (14)?

(11) *Lib. Obſerv. IV. p.* 86.
(12) *Adnot. in Lib. Pharſal. Lucani IX.*
(13) *Volt. Eſſai ſur l'Hiſt. génér. Tom. I. chap. III. p.* 28.
(14) *Curt. Lib. III. cap.* 2.

CAPUT XIII.

CAPUT XIII.

De Judæorum occurſu, Regiſque ingreſſu Hieroſolyma.

I. POpulum candidis cum veſtibus, Sacerdotes cum byſſino amictu, Pontificem denique cum ſtola & cidari obviam Alexandro proceſſiſſe tradidit Flavius. Id jam vero præterquamquod Jaddo Pontifici per quietem fuerat a Numine præceptum, rerum tunc temporis opportunitati, illarumque moribus regionum fuiſſe conſuetum nemo dubitabit; quippe victoribus ita occurrere conſueviſſe Orientales populos, Principeſque, & Sacerdotes certum omnino eſt. Illum ſane ad morem egregie alluſit Vates, dum Æneæ ad Delum appulſo Principem una & Sacerdotem Anium occurrentem induxit (1).

Huc feror: hæc feſſos tuto placidiſſima portu
Accipit, egreſſi veneramur Apollinis urbem,
Rex Anius, Rex idem hominum, Phœbique Sacerdos,
Vittis & ſacra redimitus tempora lauro
Occurrit, veterem Anchiſem agnoſcit amicum.

H 2 *Jun-*

(1) *Lib. Æneid. III. 78. ſeqq.*

Jungimus hoſpitio dextras, & tecta ſubimus
Templa Dei ſaxo venerabant ſtructa vetuſto.

Næ imaginem heic expreſſam diceres eorum, quæ prope Hieroſolyma, ipſaque demum in urbe, Alexandrum inter & Jaddum evenere.

II. Sed ut alluſiones hunc ad morem omittamus, ſimili profecto ratione obviam iverunt Alexandro Babylonii. " Jamque Ale-" xander non prope Babylone aberat, in-" quit Arrianus, quum inſtructa ad pugnan-" dum acie exercitum duxit. Babyloniorum " univerſa multitudo portis effuſa cum Sa-" cerdotibus, & Principibus Civitatis, Ale-" xandro obviam ivit, munera certatim " offerentes, urbemque & arcem cum pe-" cunia tradentes." *ἤδη τὲ ὀ πύῤῥῳ Βαβυλῶνος ἦν, καὶ τὴν δύναμιν ξυντεταγμένην ὡς ἐς μάχην ἦγε. κ. τ. λ.* (2) Juxta Curtium, Babylonem procedenti Alexandro Mazzæus cum adultis liberis ſupplex occurrit, urbem ſeque dedens: *magna pars Babyloniorum obviam egreſſa totum iter floribus, coroniſque conſtraverat, argenteis altaribus utroque latere diſpoſitis, quæ non thure modo, ſed omnibus odoribus cumulaverat. Magi deinde ſuo more carmen patrium canentes; poſt hos Chaldæi,* Ba-

(2) *Lib. III. Exped. Alexand.*

Babyloniorumque non vates modo, ſed etiam artifices cum fidibus ſui generis ibant. Laudes ii Regum canere ſoliti &c. (3) Ita Rex, armatis ſtipatus, urbem cum curru, ac deinde Regiam intravit.

III. Perſico faſtu, & Aſiaticis moribus in Italiam ac in Ægyptum invectis, Cæſares aliqui eadem ſolemni pompa fuere non ſemel ab urbibus excepti. Dum enim Severus Imperator larem ipſum Imperii occupaturus, Romam properaret, poſteaquam omnes adventare ipſum multo cum milite audiverunt, quum neque ſtare contra, neque prohibere auderent, obviam iverunt laureati, portiſque eum patentibus excepere. Ita ſiquidem Herodianus: " Severus cum " toto reliquo exercitu inſtructo armis Ro" mam petiit, attonitis, metuentibuſque " pariter primo aſpectu Romanis, auda" ciamque viri ac fortunam repetentibus " animo. Quem quidem Senatus, popu" luſque univerſus laureati exceperunt, pri" mum ſcilicet ex omnibus hominibus & " Imperatoribus citra ſanguinem, atque " adeo citra pulverem, tanti effectorem " operis. Poſtea vero quum eum populus " fauſtis acclamationibus ſuſcepit, & Se" natus univerſus ad portas urbis conſalu-

(3) *Lib. V. cap. 1.*

" tavit, inito Jovis templo, factaque re
" divina, reliquiſque item ſacris ædibus de
" more conſalutatis, noviſſime ad Impera-
" toriam domum ſe recepit. Ὁ δὲ Σεβῆρος σὺν παντὶ τῷ λειπῷ ὡπλισμένῳ εἰς τὴν Ρώμην ἀφικνεῖτε, ἔκπληξίν τε καὶ δέος, ἅμα τῷ ὀφθῆναι, τοῖς Ρωμαίοις ἀνέβαλε τοῖς ὅυτω πετολμημένοις τε καὶ ἐυτυχηθεῖσιν ἔργοις κ. τ λ. (4) Ejuſdem vero Imperatoris reditum Romam poſt devictum Albinum idem Hiſtoricus deſcribens, rebus, inquit, Britanniæ ordinatis, Romam cum exercitu Severus intravit, occurrente laureato populo, & magno honore, fauſtiſque acclamationibus excipiente, Senatuque univerſo conſalutante. Poſtea vero quam in templum Jovis ingreſſus eſt, omniaque ſacrificia de more peregit, reverſus in Palatium, magnoque congiario populum Romanum victoriæ nomine proſequutus, ac nummos militibus largitus eſt, ſimul alia permulta indulſit, quæ numquam antea acceperant. Διοικήσας δὲ τὰ κατὰ τὴν Βρεττανίαν κ. τ. λ. (5) Quum Alexandriam Antoninus Imperator adiret, urbis illius incolæ ad eum excipiendum ſe comparaverant. Itaque omnifaria muſica inſtrumenta diſpoſita ubique varium edebant ſonitum: præterea aromatum & ſuffimentorum vapor omne genus

(4) *Lib. Hiſtor. II.*
(5) *Herodian. Lib. Hiſtor. III.*

genus aditus cunctos optimis replebat odoribus: tædis quoque & florum ſparſionibus Imperatorem honoraverunt. Sed ubi in urbem jam pervenit, primo quidem Templum ingreſſus eſt, multiſque victimis immolatis, ac thure cumulatis altaribus, ad Alexandri monumentum ſe contulit. *ὑποδοχὴ δὲ παρεσκευάζετο ἅαν μιδενὶ πώποτε βασιλεῖ γενέσαι φασὶ κ. τ. λ.* (6) Latinus Pacatus in Panegyrico Theodoſio Imperatori dicto, deſcribens qua pompa a civitatibus in expeditione contra Maximum exciperetur: " quid ergo referam, inquiebat, pro mœnibus ſuis feſtum " liberæ nobilitatis occurſum, conſpicuos " veſte nivea Sacerdotes! reverendos municipali purpura Flamines, inſignes apicibus Sacerdotes! quid portas virentibus " ſertis coronatas, quid aulæis radiantes plateas, accenſiſque funalibus auctum diem! " quid effuſam in publicum turbam: domorum gratulantes annis ſenes: matres " lætas, virgineſque ſecuras &c. " Sed Orientalium ad mores revertamur. Claudianus libro de laudibus Stiliconis primo:

Vix primævus eras pacis cum mitteris auctor
Aſſyriæ: tanta fœdus cum gente ferire
Commiſſum juveni, Tigrim tranſgreſſus & altum

H 4 *Eu-*

(6) *Lib. Hiſtor. IV.*

Euphratem, Babylona petis: ſtupuere ſeveri
Parthorum proceres, & plebs pharetrata videndi
Flagravit ſtudio, defixæque hoſpite pulchro
Perſides arcanum ſuſpiravere calorem.
Thuris odoratæ cumulis, & meſſe Sabæa
Pacem conciliant aræ, penetralibus ignem
Sacratum rapuere adytis, rituque juvencos
Chaldæo ſtravere Magi: Rex ipſe micantem
Inclinat dextra pateram, ſecretaque Beli
Et vaga teſtantur volventem ſidera Mithram.

IV. Poſſent hæc ſimilibus ſexcentis confirmari, ſed facto contenti erimus ipſis Hieroſolymis peracto, dum Marcus Agrippa illuc advenit, & ab Herode exceptus fuit. Poſtquam enim hic Rex nihil, quod tanto hoſpiti placere poſſet, omiſiſſet, omnique ſplendoris ac magnificentiæ genere ipſum apud Sebaſtem, & Cæſaream honoraſſet, *quin & in urbem Hieroſolymorum eum duxit*, ſcribit Flavius, *ubi ei populus obviam feſto veſtitu prodiit, fauſtiſque acclamationibus eum excepit. Agrippa autem Deo centum boves immolavit, & populo convivium præbuit, nemini rerum lectiſſimarum copia cedens.* ἦγεν δὲ καὶ εἰς τὴν πόλιν Ἱεροσολυμῶν, ἐπαντῶντες τε καὶ δήμου παντὸς ἐν εὐτρεπεῖ στολῇ. κ. τ. λ. (7) Occurſum hunc Agrippæ, dum Hieroſolyma

(7) *Lib. Antiq. Jud. XVI, cap. 2.*

ma adventaſſet, & ſacrificium ab eo Numini oblatum, confert qui Macedonis in Hiſtoriam tot tantaque accurate adnotavit Johannes Clericus cum ſacrificio, quod eadem in æde obtulerat olim Alexander. *Hieroſolyma*, inquit, *adductus*, *obviam ei proceſſit totus populus cum magnis adclamationibus*; *ingreſſuſque urbem Agrippa*, *nomine ſuo juſſit Hecatomben Deo offerri*. *Sic & olim nomine Alexandri ſacra fecerunt Sacerdotes Hebræi* (8). Num quæ moris, honoris, atque aſſentationis cauſa præſtitere erga Marcum Agrippam, ethnicum illum quidem, ſed Auguſti generum & amicum; præbere erga victorem Macedonem non debuiſſent, juſſu præſertim acti æterni Numinis, urgenteque hoſtili aggreſſione, a qua ſe ſe viribus ac armis tueri non poterant, Judæi?

V. Scrupulus heic tamen videretur removendus: cur nempe aſſeramus, Judæos eo adparatu, eaque pompa obviam factos Alexandro, non tam quia ita Jaddo Pontifici fuerat per quietem a Numine præceptum; verum etiam quia ita victoribus Orientalium Principes ac populi regionum occurrere ſolerent: cur id, inquam, aſſeramus, quum ex oppoſito ſcripſerit Joſephus, Jaddum, ubi Regem non procul eſſe ab urbe

(8) *Hiſt. Eccleſ. ad A. ante Æram vulg. XV.*

urbe intellexit, prodiiſſe una cum Sacerdotibus & civili turba, *venerabili & diverſo ab aliis gentibus occurſu in locum, qui Sapha appellabatur?* ἱεροπρεπῆ καὶ διαφέρουσαν τῶν ἄλλων ἐθνῶν ποιούμενος τὴν ὑπάντησιν εἰς τόπον τινὰ Σαφὰ λεγόμενον. Sed hic revera niſi merus ſcrupulus non eſt. Neque enim ſolemni pompa & adparatu victoribus occurrere ab aliarum moribus fuiſſe gentium alienum indicare voluit Joſephus; ſed tantummodo ſignificare, Macedonem nondum fuiſſe tanta cum dignitate ac majeſtate ab aliis præſertim tunc domitis urbibus exceptum, quanta tunc fuit a Judæis. Rex quidem Lydiam, & Pamphiliam, & Ciliciam, & Phœniciam, totamque reliquam Syriam occupaverat priuſquam in Judæam Syriarum ultimam perveniſſet. Verum in nullo vitæ Alexandri Scriptore legimus aut Tarſenſes, aut Sidonios, aut Damaſcenos, aut alios Syriarum populos ſolemni cum adparatu obviam jam ipſi fuiſſe factos. Capta, non inficiamur, Tyro, Reges aliqui cum infulis, dicti ſunt, ut vidimus, victori occurriſſe. Aſt num ceterarum occurſus urbium illud oſtentare decus poterat, quod eminuit in Judæorum apparatu? Univerſa effuſa dicitur albis in veſtibus eorum multitudo: omnes Sacerdotum claſſes byſſinis in tunicis antecedentes: agmen ducebat ſummus

Sa-

Sacerdos Jaddus, hyacinthina veſte auro diſtincta, & cidari cum aurea lamina ornatus. Hujus primæ erant partes: Sacerdotum autem proximæ: ſacrumque Ordinem ambiens candidatus populus, in ipſo ſupplici occurſu, Sacerdotalis triumphi imaginem exhibebat. Hæc utique omnia venerabilem efficiebant pompam, & ab occurſu quarumcumque aliarum gentium diverſam.

VI. Quamvis vero ſcrupulus iſte in mentem adverſariorum non venerit, alii venerunt tamen haud multum iſto graviores. Primo enim animadverterunt loco, inductum tunc a Flavio Parmenionem ita Macedonem alloquutum, ac ſi iſte jam voluiſſet Numinis inſtar adorari: quum contra certum ſit, nonniſi trans Euphratem, mortuo jam Dario, totaque Aſia potitum Regem, eo inſaniæ deveniſſe: qua utique animadverſione nihil levius cogitari poſſe arbitramur; omiſſa etiam quippe nominis *adorandi* utraque in lingua ambiguitate, quæ infelicibus ſæculis tot fuit turbarum infelix cauſa; illud conſtat, non aliam fuiſſe in cultus civilis ratione Orientales inter & Græcos, quam exterioris ritus & modi diverſitatem. Hoc autem diſcrimine in moribus illarum gentium conſiderato, perſpectaque Alexandri ac Judæorum tunc temporis conditione, intelligimus, nihil fuiſſe

a

a Judæorum Hiſtorico expreſſum, quod cum eiſdem perfecte non convenerit. Procedente ſiquidem victore ac irato Rege cum copiis adverſus Hieroſolyma, fieri prorſus debuit, ut obviam facti Judæi ſe proſternentes, atque ſupplices fuerint illum venerati. Quum autem Alexander, viſo Pontifice, memor ſomnii in Macedonia accepti, ſolus accedens, eum Græco ritu adoraverit; Parmenio, qui ſibi falſo perſuaſerat, Judæos more illo ſupplici Regem æque adoraſſe, hunc aggreſſus, percontatus eſt, quî factum, ut omnibus eum adorantibus, ipſe Pontificem Judæorum adorarit? Ejuſmodi itaque interrogatio præpoſtero tantum Parmenionis concipiendi modo, ob ea, quæ extrinſecus & ſecundum ſpeciem ſimilia tantum erant, tribuenda eſt; non autem modo concipiendi Joſephi, ac ſi hic aut cogitarit, aut tradere voluerit, jam tum, & cis Euphratem cupiiſſe Alexandrum, inſtar Orientalium Regum, aut alicujus Numinis inſtar adorari.

VII. Altera eorumdem animadverſio eſt, quî ſcribere potuerit Joſephus, Phœnices & Chaldæos in comitatu fuiſſe Alexandri Hieroſolyma accedentis, quum trans Euphratem arma tunc temporis nondum tuliſſet Rex, neque Chaldæorum dominus jam eſſet? Ita animadvertentes tamen, ſe aut Judæorum Hiſtoricum attente non legiſſe,

aut

aut non intellexiſſe, ſit verbo venia, oſtendunt. Quid enim ille poſtquam ſcripſit a Rege Pontificem Jaddum fuiſſe adoratum, quid, inquam, ſubdidit? ea certe: *tunc Reges Syriæ, reliquique obſtupuerunt.* οἱ μὲν τῆς Συρίας βασιλεῖς, καὶ οἱ λοιποὶ τοῦτο ποιήσαντος καταπλάγησαν. Qui nam autem Reges illi Syriæ, niſi Darii jam Satrapæ, qui hujus auctoritate ac nomine in Provinciis Syriæ ante expeditionem Alexandri imperaverant, quique Macedoni victori in Phœnice ac Palæſtina ſe ſe in obſequio dederant, & comites adjunxerant? Ipſi quippe in Syriam profecto obvios factos *multos Reges*, ex Juſtino, atque Oroſio jam vidimus, *quorum alios in ſocietatem recepit, ac adlegit, aliis Regnum ademit, ſuffectis in locum eorum novis Regibus.* Satrapas profecto, Syriæ Præfectos, Regali vixiſſe faſtu, Regiaſque τὰ βασίλεια habitaſſe, teſtabatur Xenophon (9). Ejuſmodi porro Reges Syrii, ſive Satrapæ, *Chaldæi* appellabantur, propterea quod *Chaldæorum* donarentur nomine non Chaldæi modo proprii, ſed populi æque Chaldæorum Imperio ſubjecti (10); ideoque & Syri ipſi, quaſi adhuc Aſſyrii, & Chaldæi. Ammianus Marcellinus Ciliciam, Iſauriam, Commagenem, Syriam,

(9) *Lib. de Exped. Cyri I.*
(10) *Calmet Diction. Sac. Script.* v. Chaldæi.

Digitized by Google

Syriam, Phœnicen, ac Palæſtinam deſcribens: Seleucumque, Alexandri in prioribus illis Provinciis ſucceſſorem plures in eiſdem excitaſſe urbes animadvertens, ſubdit, *quarum in præſens pleræque licet Græcis nominibus appellentur, quæ iiſdem ad arbitrium impoſita ſunt conditoris, primogenia tamen nomina non amittunt, quæ eis Aſſyria lingua inſtitutores veteres indiderunt* (11). Ingenitum erat autem, & immane prorſus Syrorum ætate illa omnium in Judæos odium, quemadmodum Flavius teſtabatur (12); quare nil mirum, ſi qui in caſtris, vel comitatu Alexandri erant Syriæ Reges, aut Satrapæ, aut Syri, *Chaldæorum* nomine cuncti appellati. Judæorum everſionem, propterea quod hi Macedoni jam reſtiterant, ſperarent.

VII. Tametſi vero idonea ſit hæc vocis, quæ a Flavio uſurpata creditur, interpretatio, commodum adhuc tamen celebris Schotanus, & Wingornienſis Epiſcopus Lloydius, ut in adnotationibus ad hunc Joſephi locum editionis Havercampi videre eſt, ex pervia & levi in apographis utriuſque linguæ litterularum commutatione ortum ſphalma arbitrati ſunt, χυθαίων ſcilicet, in χαλδαίων, proindeque loco *Chaldæi*, reponendum,

(11) *Lib. XIV. cap.* 8.
(12) *Lib. Antiq. Jud. XIII. cap.* 13., & *Lib. de Bello Jud. I. cap.* 4.

dum, legendumque cenſent *Cuthæi*: *eo enim nomine appellabantur Samaritæ*, ut conceptis verbis ipſe Flavius affirmat: ταῦτα ἀκούσαντες οἱ χουθαῖοι, τὴν γὰρ προσηγορίαν οἱ Σαμαρεῖται κ. τ. λ. (13) Hac autem poſita lectione, omnia, quæ Judæorum Hiſtoricus in narratione ſua dixerat, confirmantur. Dederant ſe ſe jam quippe Alexandro *Chutæi*, ſive Samaritæ, tantoque libentius ſe ſe Regi dederant, quanto intellexerant, infenſiſſimos ſibi Judæos tabellariis Alexandri reſpondiſſe, fœdus ſe, quod cum Dario habebant, numquam violaturos. Properante igitur Alexandro cum copiis Hieroſolyma, qui Regem ſequebantur *Chutæi*, hoc eſt Samaritæ, fore putaverunt, ut æmulam Hieroſolymorum urbem diriperent, ac ſolo denique æquarent: haud dubitantes id Regem præ iracundia & vindicta ipſis permiſſurum. Sed evenit ut res contra ſe habuerint. Alexander enim ſomnii olim accepti memor, quod divinatorium revera fuiſſe jam jam intelligebat, pacifice Hieroſolyma ingreſſus, Pontificem & Sacerdotes honorificentiſſime habuit, & ad Ædem eorum ſacram, oblaturus Deo victimas, ſe contulit.

CAPUT XIV.

---

(13) *Lib. Antiq. Jud. XI. cap. 4.*

CAPUT XIV.

De cultu, quem Alexander præbuit ſummo Judæorum Sacerdoti.

I. ANtequam tamen urbem cum Macedone ingrediamur ſanctam & Templum, ſiſtere adhuc in occurſu Alexandri & Jaddi nos cogit Vandalæus, qui in univerſa, qua de agimus, narratione, nil ſe magis miratum ait, quam quod de adoratione Dei nominis ab Alexandro facta Flavius tradidit. *Unde vero*, ſcribit, *Rex quoque inſcriptionem iſtam in lamina tiaræ legere atque intelligere potuerit, quod illa veri Dei nomen eſſet, ut inde talis adoratio ipſius, ante alloquium Pontificis ſecuta ſit, non comprehendo* (1). Comprehendi facillime id tamen poſſe cordatus quiſque ſibi perſuaſerit, qui in totam & integram narrationem mentem & animum intenderit.

II. Et vero, nonne contra non dixerim artem, ſed contra naturam ipſam cogitandi ac ratiocinandi eſt, unius & ejuſdem narrationis partes alias ab aliis diſſociare ac ſejungere, adeo ut nullus reliquus ſit inter eas nexus, nulla remaneat complexio, ac deinde

(1) *Diſſert. ſup. Ariſt. cap. X.*

deinde de eiſdem ita ſeorſim ſumptis judicare? Hoc ſane pacto, una periodo ab aliis quæ antecedunt ac ſequuntur ſeparata ac avulſa, non tantum narratio Flavii, ſed & narrationes Livii, Taciti, Suetonii, Salluſtii, & cujuſcumque Hiſtorici poterunt facili negotio oppugnari. Dum factum aliquod revocatur in examen, ut illud ſuppoſitionis ac falſitatis arguatur, conſiderari idem juxta poſitionem ac ſtatum debet, juxta quem ab Hiſtorico narratur, & inde inquirere num ima ſummis ac media cohæreant extremis. Si enim extra Hiſtorici poſitionem & argumentum diſſerere contra tale factum quis pergat, tunc non adverſus factum, aut ejus narrationem, ſed adverſus imagines & umbras a ſeipſo efformatas digladiabitur, & verba fundens non neceſſaria aget imprudenter. Verum eſt, dici a Flavio, Alexandrum Dei nomen in lamina tiaræ Pontificis inſculptum, anteaquam Pontifex Regem alloqueretur, adoraſſe. Sed ubi nam id eveniſſe Hiſtoricus teſtatur? Certe non procul ab urbe ſancta, in loco, qui Sapha dicebatur, in ſolemni illo Judæorum ac Pontificis occurſu, & ante mœnia Hieroſolymorum. Verum, ſi Pontifex non erat adhuc tunc Regem in perſona, ut ita dicam, propria alloquutus, eum tamen jam antea alloquutus fuerat in

I ſua

ſua ſpecie, in qua illi in Macedonia apparuerat in ſomnis: qua in viſione dum animos ei addidit, ut confidenter trajiceret in Aſiam, ac futurum promiſit ut de Perſis triumpharet, debuit ipſi æque Dei nomen in ſuæ lamina tiaræ inſcriptum explicare.

III. Juxta narrationem, egit tunc Pontifex Nuntium ſummi Dei, & quo fidem eorum, quæ dicebat, faceret, aliquo docere modo Alexandrum debuit cujuſnam Dei Nuntius ac Pontifex ipſe eſſet. Id autem efficere non alia ratione clariori poterat, quam Pontificem eſſe ſe illius Numinis affirmans, cujus nomen in fronte geſtabat. Non poterat, inquam, evidentiori ratione id eum Principem docere. Non enim modo veſtes ſacræ Gentilium Sacerdotum quaſdam præſeferebant Deorum, aut Dearum imagines, aut hieroglyphica, aut ſymbola, quæ Deos ipſos, Deaſque repræſentarent; ſed coronis, tiariſque Gentilium Sacerdotum, titulos, aut litteras, voceſque integras inſcribi, aut Deorum, Dearumque imagines appingi fuiſſe uſitatum, adductis Veterum teſtimoniis, Johannes Braunius oſtendit in Tractatu de veſtibus Sacerdotis Hebræorum, ubi ejus de corona, ſive tiara agit, deque aurea lamina, in qua ſive inciſæ, ſive protube-

tuberantes erant litteræ, quæ divinum Nomen exprimebant (2).

IV. Mihi igitur in ſomnio Alexandri (ſalva ſemper debita proportione), imperfectam ſaltem imaginem videre videor eorum, quæ in beata illa ſua ecſtaſi Johanni evenerunt. Siquidem vidit hic in ſpiritu viginti quatuor Seniores, factos Deo Sacerdotes, habentes propterea coronas aureas in capite, & nomen Dei in frontibus eorum (3). Quum autem hoc in ornatu Pontifex Judæorum cum Gentilium Pontificibus conveniret, ſcilicet in eo quod utrique illius nomen Dei, cujus erant Sacerdotes, in frontibus geſtarent; quamvis in eo diſſimiles infinitum ac diverſi, quod iſti falſorum Numinum, ille veri nomen Dei præſeferret; quumque tali ex ornatu & nomine, cujuſnam Numinis Sacerdotes eſſent, ceteris manifeſtarent; haud videtur dubitandum, Jaddum, dum ſe ſe obtulit in ſomnis Alexandro, ita hunc fuiſſe alloquutum, ut ſe Numinis illius Pontificem eſſe teſtaretur, cujus nomen inſcriptum in fronte geſtabat; Numinis, inquam, illius, cujus nomen in æternum, nomen Divinæ majeſtatis & gloriæ, terribile & ſanctum, excelſum & exaltatum ſuper omne nomen,

I 2 ad-

(2) *Lib. II. cap.* 22.
(3) *Apocalypſ. IV. V. XXII.*

admirabile in univerſa terra, & a cunctis adorandum.

V. Haud igitur neceſſe erat, ut Jaddus prope Hieroſolyma alloqueretur Regem, ut hic inſcriptionem in lamina tiaræ expreſſam legere ac intelligere valeret, ac Dei nomen adoraret. Parmenio, qui nihil de viſione illa noverat, aut de nomine Dei Alexandro in ſomnis a Pontifice explicato, arbitratus tunc fuit Pontificem ipſum fuiſſe a Rege adoratum: quare in Megillath Taanith, ubi tota Joſephi narratio confirmatur, monente in adnotationibus ad eamdem in editione Havercampi Relando, inducitur Parmenio ita Alexandrum alloquutus: *Rex magnus, qualis tu es, adorat Judæum?* Sed Alexander, qui de tota viſionis ſerie tunc dicendum haud judicavit, breviter Parmenioni ac appoſite reſpondit: non illum ſe, quem coram habebat, virum adoraſſe, ſed Numen illud, cujus vir ille ſummo decoratus erat Sacerdotio. Talem enim virum eo in habitu ſecundum quietem ſe in Macedonia vidiſſe dum cogitaret quonam pacto Aſia potiri poſſet: eumdemque virum hortatum ſe fuiſſe ne cunctaretur, ſed trajiceret fidenter, fore etenim ut Numen, cujus ille Sacerdotio fungebatur, traderet ſibi Perſarum Imperium: quare quum nullum alium ipſe adhuc in tali veſte ac habitu vidiſſet,

tunc

tunc eum conſpicatum, illiuſque in quiete viſi, & cohortationis recordatum, animos jam ſumere, ac putare Divino ſe præſidio ſuperaturum Darium, ac omnia fauſte ſucceſſura. Quibus dictis Pontifici dextram dedit, urbem ingreſſus eſt, atque in Templum aſcendit, ubi ad Sacerdotis præſcriptum ſacrificavit. Nonne ſic ima ſummis, media extremis, omniaque perfectiſſime cohærent?

VI. Quæſtio adhuc tamen videtur eſſe, an Alexander Deo ſummo ac vero, an potius Deorum alicui ſacrificium offerre ſe intenderit? Nam tametſi, ſi modum dicendi, verbaque perpendimus ac emphaſim, & ſenſum Flavii non modo, ſed Euſebii præſertim, ac Hieronymi, & Chryſoſtomi, & Syncelli, & S. Thomæ, nec non tot illuſtrium Recentiorum, qui de veritate narrationis Joſephi nullo modo dubitandum eſſe ſtatuerunt: tunc certe Regem animum ac mentem in verum ac ſummum intendiſſe Deum inferre oporteret: huic tamen cogitandi rationi obſtare videtur Sanctus Auguſtinus ſcribens: *Hoſtias ſane Alexander immolavit in Dei Templo, non ad ejus cultum vera pietate converſus, ſed impia vanitate cum Diis eum falſis colendum putans* (4). Erat revera Ethnicis perſuaſum, peculiares

 fuiſſe

(4) *Lib. XVIII. de C. D. cap. 45.*

fuiſſe gentium, populorumque & locorum Deos, quos contemnere & violare impium ducebant, & quos potius, per illa tranſeundo loca, faventes ſibi reddere quacumque ratione ſatagebant: quare de ſua illa Pſyche affirmabat Apulejus: *rata ſcilicet nullius Dei fana & cæremonias negligere ſe debere, ſed omnium benevolam miſericordiam corrogare* (5). Sed ſummis præſertim exercituum Ducibus a tota videtur antiquitate in moribus fuiſſe, ut regionum Deos, quas occupaturi erant, ſacrificiis ſibi ac cæremoniis conciliarent. Invadens Aſſyriam Cyrus, teſte Xenophonte, *ut primum fines ſuperarat, tellurem libationibus ſibi propitiam reddebat, & Deos atque Heroas regionis Aſſyriorum incolas ſacrificiis placabat. Quibus peractis, rurſum Jovi patrio ſacrificabat, & ſi quis alius ex Diis erat, de quo ipſi conſtaret, non negligebat.* ἐπεὶ δὲ τάχιστα διέβη τὰ ὅρια, ἐκεῖ αὐτὸς γῆν ἱλάσκετο χοαῖς, καὶ θεοὺς θυσίαις, καὶ ἥρωας Ἀσσυρίας οἰκήτορας εὐμενίζετο. κ. τ. λ. (6) Darius ipſe cum Alexandro præliaturus, vix in Ciliciam perventus, patrio more ſacrificium Diis Præſidibus loci fecit (7). Idem itaque videretur de Macedone dicendum, ipſum ſcilicet Hieroſolymis ve-

(5) *Lib. Metamorph. VI.*
(6) *De Inſtit. Cyri Lib. Hiſtor. III.*
(7) *Curt. Lib. III. cap. 8.*

veluti patrio illius regionis Deo ſacrificium obtuliſſe, non autem ſummo vero Cæli, terræque Domino ac Deo; quod ex perpetua cogitandi, agendique ratione ipſius Macedonum Ductoris poſſet confirmari, cujus in Hiſtoria ac vita nullius rei major fit mentio, quam ſacrificiorum, quæ Diis omnium gentium ac urbium devictarum præſens obtulit. Veterum hac de re teſtimonia collegit in Antiquitatibus Macedonicis Andreas Schmitdius, quas Baptiſta Crophius propugnavit.

CAPUT XV.

De cultu, quem Alexander Deo obtulit in Templo Hieroſolymorum.

I. HÆc igitur quæſtio adcuratum in examen revocanda eſt: quod ut idonea ratione fiat, inveſtigare opus eſt, quænam fuerit tunc ſaltem temporis Religio Alexandri, quidque tali Religioni addere potuerit ſomnium in Macedonia acceptum, Templum Hieroſolymis inventum, & Oraculum Danielis a Pontifice Jaddo Macedoni explicatum.

II. Porro, ut quid aliquis de Religione ſentiat detegamus, magis quam quid præcepta & coacta inſtitutio imberbi indiderit,

conſiderandi ſunt quinam ſint illius, viri jam facti, in diſciplinis ac ſcientiis amores, & cuinam docentium generi & claſſi addictus eſſe videatur. Notiſſimum jam vero ex Veterum monumentis eſt, Alexandrum ſuorum ac vetuſtiorum Poetis temporum addictiſſimum fuiſſe; nihil autem antehabuiſſe Homero, ac ita eum cordi habuiſſe, ut Græco cognomento *Amator-Homeri* diceretur: libros ejus ſemper ſecum ferre, atque etiam quum quieſceret, una cum pugione ſub cervicali ponere ſolitum fuiſſe: Homerum denique ſuæ inſtitutorem vitæ, ſuæque viaticum militiæ appellitaſſe (1). Quamvis vero, ut accuratiores Critici animadvertere nunc ſolent, aliqui Homerum laudaverint nimis, alii vero nimium depreſſerint, in eo convenere tamen, conveniuntque prope omnes, quod olim Sanctus Juſtinus Martyr (2), & Sanctus Cyrillus Alexandrinus (3) oſtenderunt, poſitum videlicet fuiſſe ab Homero Deum ſummum atque maximum, reliquorum, ut vocabant, Numinum, omniumque hominum, & cunctarum parentem, conditorem, ac moderatorem rerum: exornatam quippe ab illo Vate doctrinam cenſent, quam ex Ægypto in Græciam tranſtulerat Or-

(1) *Freinshem. Supplem. in Lib. I. Curt. cap. 4.*
(2) *Cohort. ad Græcos cap. VI.*
(3) *Lib. contra Julian. I.*

Orpheus, de quo ita Lactantius: " Poetæ " igitur, quamvis Deos carminibus ornaverint, & eorum res geſtas amplificaverint ſummis laudibus, ſæpiſſime tamen " confitentur, ſpiritu, vel mente una contineri omnia. Orpheus, qui eſt vetuſtiſſimus Poetarum, & æqualis ipſorum Deorum, Deum verum & magnum, & πρωτόγονον primogenitum appellat, quod ante " ipſum nihil ſit genitum, ſed ab ipſo ſint " cuncta generata; eumdem φάνητα nominat, quod quum adhuc nihil eſſet, primus ex infinito apparuerit & extiterit (4). " Sanctus Cyrillus quoque pluribus adductis carminibus Orphei addidit: *Unum igitur, eumque a ſe generatum, per omnia, & ſuper omnes laudat Orpheus Deum, & ſolium quidem ipſi ait eſſe Cælum, terram ſubjacere pedibus, indicare volens immortalem illam naturam nullis eſſe finibus circumſcriptam &c.* Ἕνα τοίνυν, καὶ τοῦτον αὐτογέννητον διὰ πάντων τε καὶ ἐπὶ πάντας ὀνομάζει Θεόν, κ. τ. λ. (5) Similia jam ſcripſerat in Præparatione ſua Evangelica Euſebius (6). Quum hanc, inquam, doctrinam ſua tranſtulerit in carmina Homerus, ut aperte etiam videre eſt Ilia-

(4) *Lib. Divin. Inſtit. I. cap. 5.*
(5) *Lib. contra Julian. I.*
(6) *Lib. XIII. cap. 12.*

Iliados I. & II., ſummum propterea & immortalem docuit & celebravit Deum.

III. Haud negamus, veritatem hanc ipſum tot ſimul figmentis, falſorumque additione Numinum obſcuraſſe. Verum, ut allegoricus creditur fuiſſe totus ille fabularum apparatus (quod oſtendit jam laudatus Alexandrinus Præſul (7)), illarumque intimus allegoriarum ſenſus neque fortaſſe vulgo Ethnicorum illius ætatis innotuerit; haud ita tamen de Sapientibus credendum, qui eo ſpiritu legebant Homerum, quo Scipio, & Lucullus legerunt Xenophontem; multoque minus de Macedone exiſtimandum, qui ſane Blanckuello aliquo non indigebat, qui illarum involucrum fictionum ſibi explicaret. Quod ſi omnes ſupremi perfectiones Numinis ſignificatas ab Homero non invenit, eas reperire ſparſim potuit apud alios, quorum admirator erat, Græcos Vates; eorum enim ex ſententiis ſimul collectis maximam haurire debuit Rex tanti Numinis notionem. Innumera eorum proſtant teſtimonia apud Cælium Rhodiginum, Pfannerum, Huetium, Ramſæum, ſexcentoſque alios, ſed præcipue Spondanum in Prolegomenis ad ipſius Poemata Homeri.

IV.

(7) *Lib. contra Julian. I.*

IV. In cultus tamen æterni Numinis ratione fatemur Ethnicos quammaxime erraſſe. Inſederat enim animis eorum opinio Divinitatem omnibus Religionibus honorari; nec deerant qui tali varietate totius Univerſi Auctorem & Principem delectari exiſtimarent. Ταύτῃ νόμιζε γάνυσθαι τῇ ποικιλίᾳ, καὶ τὸν τοῦ παντὸς ἀρχηγέτην (8). Verum, quamvis ipſi ſocietatum moderatores earum moribus adhærere conſueverint, qui ſibi tamen prudentiores videbantur, eſto ſummum Deum, ut a mortalibus eo quocumque poſſent modo coleretur indulgere, inficiari nollent, attamen ipſum non æque in omnibus ſibi complacere Religionibus putabant, nec æqualiter in cunctis adorari; ſed in aliquibus ſapientius ac melius quam in aliis, unde Myſteria illa fuere demum inſtituta, quæ, antequam omnino corrumperentur, unitatem Dei initiatis clarius repræſentabant; & in quibus, ut verbis utamur Plutarchi, ea, quæ videnda, & contemplanda humanis animis offerebantur, ſomnium veluti erant ſacri magis ſpectaculi, & perfectioris futuræ contemplationis. καὶ τῶν ἐνθαύθα θελετῶν τὰς ἀρίστας ἐκείνης ὄνειρον εἶναι τῆς ἐποπτείας καὶ τελετῆς (9). Oracula quoque non ejuſdem dignitatis ac virtutis in omnibus eſſe locis

(8) *Themiſth. Orat. V. edit. Harduin. p. 70.*
(9) *De Oracul. defect.*

locis autumabant, ſed alia aliis illuſtriora, & conjectores ſomniorum ac vates, aliis alios celebriores ac diviniores; quare quum Nabuchodonoſor Rex ſomnium illud Propheticum habuiſſet, quod a Chaldæis ſuis non intellectum, divinitus fuit a Daniele explicatum, in admirationem raptus, quamvis ethnicus, in eas voces prorupit: VERE DEUS VESTER DEUS DEORUM EST, ET DOMINUS REGUM, ET REVELANS MYSTERIA, quoniam tu potuiſti aperire hoc ſacramentum (10).

V. Hæc autem Alexandri facto poſſunt, ut ita dixerim, aptari. Quamvis enim Regis Religio eſſet ex Homericis ac Poeticis doctrinis, & conſuetudine populorum ſimul coaleſcens, talia tamen ipſi acciderunt, quæ ipſum ad verum Deum proprio & ſingulari cultu Hieroſolymis colendum ferre debuerunt. Et primum quidem, dum illi Jaddus apparuit in ſomnis, non ſe peculiaris alicujus Dei Nuntium & Sacerdotem declarare potuit, ſed omnino ſe proteſtari Pontificem debuit ac Nuntium Numinis ſupremi rerum omnium Conditoris atque Domini: Nuntium, inquam, & Sacerdotem Dei Patrum ſuorum atque Prophetarum, quorum ore converſionem Regnorum ſpoponderat

(10) *Danielis II. 47.*

ponderat futuram in favorem Alexandri, & a quo ſolo auxilium, præſidium & opem ſperare ipſe poterat ut Imperium everteret Perſarum. Non illi de peculiari aliqua gente, aut urbe loquutus tunc fuit Jaduus, aut de Judæorum populo, aut de Æde ſacra Hieroſolymorum, ut immunes ab omni excidio & maleficio remanerent; ſed ſatius victorias, quas animo ac mente infinitas agitabat Alexander, & occupationem totius Perſarum Imperii, videlicet univerſi prope, ut illa ætate credebatur, Orbis habitabilis, Dei, cujus Sacerdos ac Nuntius erat, proindeque Numinis ſupremi nomine, promiſit. Rex, vix conſpecto prope Hieroſolyma Pontifice, qualis ſibi in Macedonia apparuerat, eo actus veluti miraculo, recordari carminis debuit, quod, effati inſtar, Iliados in limine ſcripſerat ſuæ dux vitæ, ac inſtitutor perpetuus Homerus:

Καὶ γάρ τ' ὄναρ ἐκ Διός ἐϛὶν (11).

a ſummo nempe Deo eſſe aliquando ſomnia immiſſa: idcirco vere divinum fuiſſe inferens illud ſomnium, Parmenioni dixit: nunc puto me, Divino juſſu facta expeditione, Dario ſuperiorem fore, Perſarum Imperium

(11) *Iliad. Lib. I.*

perium aboliturum, atque omnia, quæ mihi ſunt in animo ſucceſſura. Ejuſmodi autem, pro ſola ſenſus communis cogitandi ratione, non alicujus ope ſpecialis ac localis Numinis, ſed ſola virtute omnipotentis & veri, ſupremique Dei ut ita eventura forent ſperari poterant, ac demum obtineri.

VI. Templum ingreſſus Rex, hac in perſuaſione debuit magis magiſque confirmari. Illud deſcribens Hecatæus Abderita, qui in caſtris fuit Alexandri " in me-
" dio urbis Ædem eſſe, inquiebat, lapideam
" longitudinis fere V. jugerum, & latitu-
" dinis C. cubitorum; portas eſſe geminas
" (in lateribus), & altare eſſe in ea qua-
" dratum; præterea ibi eſſe ingens Taber-
" naculum, in quo continebatur altare (in-
" cenſi) & candelabrum utrumque aureum
" pondo II. talentorum, in quo lux inex-
" ſtincta dies, noctesque ardebat: *porro nul-*
" *lum ibi eſſe ſimulacrum, figuram nullam,*
" *nullas arbores, nec lucum, nec aliud quic-*
" *quam ejuſmodi*, ἄγαλμα δ᾽ οὐκ ἔςιν οὐδ᾽ ἀνά-
" θημα το παράπαν, οὐδὲ φύτευμα παντελῶς,
" οὐδὲ οἷον ἀλσῶδες. Sacerdotes ea in Æde
" noctu & interdiu aſſiduos certis expia-
" tionibus operam dare ſolitos &c. (12)"
Quæ oculis ipſe ſuis viderat, deſcribebat

Ale-

(12) *Apud Euſeb. Lib. Præpar. Evang. IX. cap. 4.*

Alexandri comes, atque ethnicus certe Hecatæus, cujus in narratione animadvertere præſertim eſt, nullum Hieroſolymitano in Templo fuiſſe Dei in eo culti ſimulacrum, nullam imaginem, nullum lucum, locum nullum, in quo Deus eſſe crederetur; ſed ut Tacitus ipſe fatebatur de Judæis, eos *mente ſola, unumque Numen intelligere* (13); vel, ut Dion Caſſius exponebat, nullum ex ceteris Diis eos coluiſſe, ſed unum modo ſummo ſtudio veneratos; atque ineffabilem, inviſibilemque exiſtimantes, religioſo ejus cultu ceteros mortales ſuperaſſe (14). Itaque quis dubitet, Alexandrum tantæ adhuc indolis, tantique ingenii Regem, adito Hieroſolymorum Templo, non ſtatim ac clare intellexiſſe, ſolum in eo adorari ſupremum omnium Conditorem & Moderatorem Deum?

VII. Hunc in eo ſaltem, illiſque ſacrificiis, magis ac melius, quam alio quocumque in loco, vel aliarum cæremoniis Religionum coli & adorari exiſtimare debuit Rex. Id namque Principes alii, quamvis idololatræ, & ante & poſt Alexandrum putaverunt, quemadmodum ex actis intelligimus in honorem Hieroſolymorum Templi ac Dei, ex actis, inquam, Cyri, Darii Hy-

(13) *Lib. Hiſtor. V.*
(14) *Lib. Hiſtor. Roman. LXXVI.*

Hyſtaſpis, Artaxerſis Longimani, Seleuchi Syriæ Regis, qui haud modicam Judæis pecuniam in ſacrificiorum uſum largiebatur, *χρήματα εἰς ἱερȣργίαν ἀυτοῖς ἀφορίσας* (15), ac Ptolemæi denique Evergetis, de quo ita Flavius ſcribebat: *Tertius Ptolemæus, dictus Evergetes, tota Syria vi & armis occupata, non Diis Ægyptiacis ſacra fecit, ut pro victoria gratias ageret; ſed, quum Hieroſolymis veniſſet, multas hoſtias, ſicut noſtri moris eſt, immolavit, & donaria digna victoria dedicavit.* Καὶ γαρ̀ τρίτος πτολεμαῖος, ὁ λεγόμενος Ε'υεργέτης, κατασχιὸν ὅλωυ Συρίαν κατὰ κράτος, ȣ̓ τοῖς ἐν Α'ιγύπτω θεοῖς χαριςήρια τῆς νίκης ἔθυσεν, κ. τ. λ. (16) Quid dicam de Cæſare Auguſto, deque Marco Agrippa, ac ceteris bene multis Principibus ac Regibus Gentilibus, qui propenſos adeo ſe ſe in ſacram Hieroſolymorum Ædem oſtenderunt, quemadmodum ex Flavio non tantum patet in ſecundo adverſus Apionem libro, ſed magis adhuc ex Philone in Legatione ſua ad Cajum, ubi quanto in honore exteri Reges Hieroſolymitanum habuerint Templum illi Cæſari exponens, addidit de Auguſto, tam ſancte ipſum Ædem illam ſacram coluiſſe, ut prope omnium Aulicorum ejus donaria in ea viſerentur, in qua etiam juſ-

(15) *Flav. Joſeph. Lib. de Machab. n. 4.*
(16) *Lib. contra Apion. II. n. 5.*

juſſerat, ut quotidiana, quæ eo adhuc temporis ſummo offerebantur Deo, ſumptibus ſuis mactarentur holocauſta. Οὕτως ὡσιοῦτο περὶ τὰ ἡμέτερα, ὥστε μόνον οὐ παντοικίοις ἀναθημάτων πολυτελείαις τὸ ἱερὸν ἡμῶν ἐκόσμησε, προστάξας καὶ διὰ αἰῶνος ἀνάγεσθαι θυσίας ἐντελεῖς ὁλοκαύτους καθ᾽ ἑκάστην ἡμέραν, ἐκ τῶν ἰδίων προσόδων ἀπαρχὴν τῷ ὑψίστῳ Θεῷ, αἳ καὶ μέχρι νῦν ἐπιτελοῦνται. κ. τ. λ. (17) Ita Philo.

VIII. Hac de re (ut jam factam, ſed neceſſariam animadverſionem repetere non negligamus) non altum modo apud ethnicos Auguſti geſtorum Scriptores ſilentium; ſed oppoſitum immo eruere ex Suetonio quis poſſet, cui ſi credendum foret, Auguſtus *Cajum Nepotem, quod Judæam prætervehens, apud Jeroſolymam non ſupplicaſſet, collaudavit* (18). Et id quidem veriſimilius ſibi videri ſcripſit Johannes Clericus in Hiſtoria ſua Eccleſiaſtica ad annum Auguſti XXX. Nempe, duos inter Hiſtoricos, alterum de Numinis gloria, & decore domus ejus, alterum de contemptu utriuſque ſollicitum, hic poſterior fuit eligendus, ne quid detrimenti profana res accipere umquam videretur. Et vero, ſi Clericus ſolum de arte critica ſcripſiſſet, talis error prope poſſet ipſi condonari. Aſt eum, qui Logicam

K quo-

(17) *Phil. de Legat. ad Cajum.*
(18) *Vita Auguſti cap. XCIII.*

quoque elucubravit atque edidit, ex quo Auguſtus Cajum nepotem quod, Judæam demum prætervehens, apud Jeroſolymam non ſupplicaſſet collaudarit, inferre, dubitari poſſe, an idem Cæſar, qui tam diuturno tempore regnavit, juſſerit olim, ut quotidiana ſuis ſumptibus ſummo offerentur Deo Hieroſolymorum in Templo ſacrificia: id jam vero nulla videtur ratione tolerandum. Quanto enim ſummorum Imperantium efficaciores ſunt, tanto etiam ſunt, arcanis de cauſis, quas Hiſtorici ut plurimum ignorant, mutabiliores voluntates. Satius itaque ad hunc animadvertit locum egregius Vir, qui Suetonium ad uſum Delphini illuſtravit, ſcribens: *Maxime immutatam oportuit iniquam hanc Auguſti adverſus Judæorum ſacra voluntatem: plurima quippe illis impertita ab eo privilegia conſtat ex Joſepho Libro XVI. Antiquitatum Judaicarum capite 10., & ab aliis etiam Romanis, ut ab ejuſdem Libro XIV. capite 17. & 22. Sed quod maxime huic Suetonii loco adverſetur, ex Philone Libro de Legatione ad Caligulam capite 9. Auguſtus ipſe certos de ſuo reditus conſtituit, ut Judæorum ritu ſingulis diebus ſacrificia fierent DEO SUPREMO* ΥΨΙΣΤΩ ΘΕΩ, *quo etiam modo Judæorum Deum appellat in quibuſdam edictis. Unde Caſaubonus exiſtimat ſcriptum id, vel dictum ab Auguſto contra*

animi

animi ſententiam, ne Judæorum ſectæ addictus ullo modo videretur (19). Opus revera fuiſſet, prudentius ut animadvertiſſet Clericus, cum quo nam verba fecerit tunc Philo? Num in publica legatione ſua impudenter adeo præſenti ac manifeſta in re, & ad Auguſtum pertinente, cum ſucceſſore Principe mentiri voluiſſet?

IX. Nemo idololatriæ magis addictus fuit, quam transfuga Julianus, qui tamen eo ipſo temporis quo Deos colebat falſos, in alloquutione; quam præliaturus contra Perſas, ſuos habuit ad milites, inter cetera hæc dixit: *Adero ubique vobis adjumento Numinis ſempiterni Imperator, & anteſignanus, & conturmalis ominibus ſecundis, ut reor* (20). Paullo vero ante in Epiſtola ad univerſam Judæorum Nationem ita ſcripſerat: " ego " vero quum longe majoribus beneficiis vos " ornare vellem, fratrem Julium, Patriar" cham omni obſervatione dignum, horta" tus ſum, ut & tributum, quod *Apoſtolatus apud vos dicitur*, prohibeat, & ne" mini in poſterum liceat vectigalia ejuſ" modi a vobis exigere: quo ſumma vo" bis ſecuritas & otium ſit in meo regno, " & majore ſtudio pro ipſo vota faciatis " Deo optimo & opifici, ἵνα ἀπολαύοντες,

K 2 " ἔπ

(19) *Babelon. not. in Sueton. V. Auguſti cap.* 93.
(20) *Ammian. Marcellin. Lib. XXIII. cap.* 5.

" ἔπ μείζονας εὐχὰς ποεῖτε τοῖς ἐμῆς βασιλείας " τῷ πάντων κρείττονι, καὶ δημιουργῷ Θεῷ. Id " vos imprimis curare atque contendere de- " betis, quo & ipſe Perſico bello ex ani- " mi ſententia geſto ſanctam urbem Jeru- " ſalem, quam multos jam annos habita- " tam videre deſideratis, meis laboribus " refectam incolam, & una vobiſcum opti- " mo Deo gratias agam. καὶ ἐν αὐτῇ δόξαν " δώσω μεθ' ὑμῶν τῷ Κρείττονι (21). " Illi vero omnium Opifici debere ſe quod Impe- rator eſſet, immo victorias illi, qui ſancte Hieroſolymis colebatur, Deo eſſe aſſerendas eadem in Epiſtola proteſtabatur Julianus: quare magis magiſque intelligitur, ethnicos Principes ſibi ſaltem perſuaſiſſe, æternum Numen honorificentius ac melius in Reli- gione ac in Æde ſacra Judæorum, quam aliis in locis, aliarumque cæremoniis Reli- gionum fuiſſe adoratum.

X. Ceterum, etiamſi allegati Principes ac Reges, quemadmodum & alii, rectius ac melius Divinitatem Hieroſolymitano in Templo, quam alibi, ſe crediderint eſſe veneratos, ſtatim atque tamen illo cum cultu falſorum cultum Numinum ſimul con- junxere, ad populum Dei nullo modo per- tinere potuerunt. Et quia Alexander etiam, ſuum

(21) *Epiſt. XXV. edit. Ezech. Spanhem. Tom. I. p. 391.*

ſuum ſequutus Homerum, ac reliquos Græcos Vates, qui quamvis unum ſummum celebraſſent Deum, alios tamen fictitios atque falſos cecinere, quia ille, inquam, non modo obtulit in Dei Templo ſacrificium, ſed falſis alibi ſacrificare perrexit Diis, propterea jure meritoque Sanctus Auguſtinus nullam habendam eſſe docuit Hieroſolymitani illius ſacrificii rationem. Momentaneus nimium erat aliquibus in Ethnicis naturalis Religionis abſque mixtura idololatriæ & ſuperſtitionis ſenſus; eorum quippe nonnulli ſemel acti mirifico aliquo prodigio, illud uni ſupremo acceptum referebant Deo; ſed miraculo exacto ad falſos Deos animo revertebantur. Alii magni momenti beneficium ſummo a Numine poſcentes, illo impetrato ad cultum idololatricum redibant; haud ſecus quam homines ſoliti delinquere, qui ſuorum veniam delictorum in Templis deprecantur; ſed vix iſtorum limine egreſſi in vetera aut nova delicta delabuntur. Adeo humanæ miſeræ naturæ ſibi derelictæ nihil ſtrictius quam inconſtantia inhæret.

CAPUT XVI.

De Hieroſolymitano Oraculo, & Jaddo.

I. Templum ingreſſus Alexander intenſiſſimo debuit teneri deſiderio adeundi Oraculum illius; non modo quod illuſtriora Veterum templa Oraculum haberent (1); cunctaque minora etiam Oracula conſulere Gentiles ſoliti eſſent, apud quos in honore habitæ etiam fuere ſortes Hieroſolymitanæ (2); ſed magis quia quum Pontificem demum inveniſſet, & coram haberet, cujus ſpecies ſibi adhuc in Macedonia de Perſica expeditione cogitanti apparuerat in ſomnis, quique hortatus eum fuerat ut confidenter trajiceret in Aſiam, ac de ſuperandis Perſis nulla ratione dubitaret; quum initium, inquam, tam felicis ominis impleri jam videret Alexander, magis magiſque debuit incendi, cupereque, ut præſens ac intimius cognoſceret tantæ ſpei ac promiſſionis fundamentum.

II. Oſtenſum itaque Regi tunc fuiſſe Danielis librum ſcribit Flavius, in quo prænuntiabatur fore ut Græcorum aliquis Imperium

(1) *Spencer. de Legib. Hebr. Ritual. Diſſ. VI. Lib. III. cap. II. ſect. 3.*
(2) *Strabo Lib. Geograph. XVI.*

perium Perſarum eſſet ſubacturus: lætatumque Regem, ſe eum eſſe qui verbis illis ſignificaretur exiſtimantem: neque aliud addidit Joſephus, propterea quod Hiſtoricum tunc, non Hiſtoriæ interpretem agebat. Fieri tamen omnino debuit, ut quum tale Oraculum Propheticis ſub umbris eſſet abſconditum ac involutum, poſtulaverit Rex a Pontifice ut illud ſibi explicaret. In eo ſiquidem Danieli prius repræſentata fuerant tum præterita, tum futura terrarum Orbis Imperia, deinde Imperantes ipſi ſuis ſub figuris indicati. Viſa enim fuerant a Propheta quatuor grandia animalia, quæ pro ſacrarum more ac ſtylo Litterarum, quatuor magna idololatrica Regna denotabant. Primum quaſi leo, quod Babylonicum ſub Nabuchodonoſorre valens & ſævum oſtendebat. Alterum ſimile urſo, tres habens dentium ordines, ſive coſtas, quæ Imperium Perſicum, Medicum, & Chaldaicum ſub uno Regno ſignificabant. Et ecce tertia beſtia quaſi pardus, quæ Græcorum Monarchiam præmonſtrabat. Ut enim rectiſſime ſuo in Hierozoico Bochartus: " cum pardo conf" fertur tertia Monarchia, ideſt *Alexandri* " & *Græcorum*. Nempe ut pardus ſtatura " parvus eſt, ſed animo & robore maxime " præſtans, ita ut cum leone & proceriſ" ſimis quibuſque feris congredi non ve-

 " reatur:

" reatur: ſic *Alexander* pene Regulus, &
" cum exiguo apparatu, Regem Regum
" aggredi auſus eſt, ideſt *Darium*, cujus
" regnum a mari *Ægeo* uſque ad *Indos* ex-
" tendebatur. 2. Nullum animal eſt pardo
" velocius: ita *Alexander* tanta pernicitate
" in rebus gerendis uſus eſt, ut magnam
" partem habitati Orbis annis duodecim
" ſubegerit. Proinde illum pinxit *Apelles*
" fulmen manu geſtantem, quod in obſtan-
" tia rapide fertur, & maximo cum im-
" petu: atque ipſe interrogatus qua ratione
" res tantas tam brevi temporis ſpatio con-
" feciſſet, reſpondit, Μηδὲν ἀναβαλλόμενος,
" *nihil cunctatus*. Ut enim veriſſime dixerit
" *Hieronymus* victoriis potius quam præliis
" totum terrarum Orbem percurriſſe. 3. Ma-
" culas pardi referunt gentium, quibus im-
" peravit, diverſi mores. In his, præter
" *Macedones*, & *Græcos*, & *Thraces*, & *Il-*
" *lyrios* in Europa; & in Africa *Libyes*,
" *Ægyptios*, & *Troglodytas*, *Aſiaticæ* fuere
" gentes omnes uſque ad *Gangem*, quem
" trajeciſſet etiam, ſi licuiſſet per milites
" tot victoriis fatigatos (3)." Ut alias
pardum inter ac Macedonem ſimilitudines
heic omittamus, non tam ab hoc Auctore,
quam a Sanctis Patribus, & ab Interpreti-
bus

(3) *Hieroz. Lib. III. cap. VII. p.* 789.

bus ſacris, tum antiquis, tum recentioribus adjectas, & feliciſſime explicatas.

III. Poſt quatuor maxima Imperia objecti Prophetæ fuerunt Imperantes ipſi, inter quos *hircus caprarum veniebat ab Occidente ſuper faciem totius terræ. Porro hircus caprarum, Rex Græcorum eſt, & cornu grande, quod erat inter oculos ejus, ipſe eſt Rex primus* (4). Quare ſic dictus fuerit Alexander, recte adeo Hebraicis ex fontibus mox allegati Scriptores oſtenderunt, ut in eo immorari neceſſe nobis non ſit: nempe adimpletis Oraculis clariſſima evaſerunt. Impervia ea tamen debebant prorſus eſſe Alexandro Græcanicæ tantummodo mythologiæ, ac allegoriis Homericis aſſueto. Quum enim Græci, quia humanis in affectibus erant toti, eiſdem, quemadmodum & virtutibus & vitiis & actionibus hominum uterentur ad naturalium non modo ortus & mutationes & occaſus rerum, ſed etiam ad rerum civilium viciſſitudines metaphorice exprimendas; ex oppoſito Orientales qualitatibus & viribus & actionibus animalium, quæ aperte & conſtanter magis ſe ſe exerunt quam noſtræ, tamquam clarioribus ſpeculis, & aptioribus utebantur ſymbolis, ad qualitates non modo & actiones hominum,

ſed

(4) *Daniel. VIII.* 5. 21.

ſed magis ad vires & vices Imperiorum & Imperantium ſignificandas. Hoc concipiendi, exprimendique genus ex antiquiſſimis ortum arbitramur Patriarchis, qui quum paſtoralem vitam agerent, animalium naturam & actiones propius cognoſcebant. Sane Patriarcha Jacob morti proximus, filiis benedicens ſuis, & quæ eventura ipſis erant prædicens, eorum alium, catulum leonis; alium, colubrem in via; alium, cervum emiſſum; alium, rapacem lupum &c. appellabat. Percrebuit ſymbolicus ille ſenſus atque ſermo in omnibus Prophetis imagines animalium magis complexas & ænigmaticas cernentibus, & perſeveravit uſque ad beatam ecſtaſim Johannis, qui in ſuo illo Dramate Prophetico ſe vidiſſe inquiebat in circuitu throni Dei quatuor animalia undique oculis referta, primum ſimile leoni, ſecundum vitulo ſimile, tertium habens faciem quaſi hominis, quartum ſimile aquilæ volanti, quæ quatuor cæleſtes illos obumbrabant viros, qui non modo præterita enarraturi erant nobis, ſed & futura prænuntiaturi, quemadmodum eventus felix, & omnes Sancti Patres docuerunt.

IV. Illas itaque figuras, illarumque imaginum ſignificationes ut intelligere poſſet Alexander interprete indigebat. Sed quiſnam opportunior interpres ipſo ſummo Judæorum

Sa-

Sacerdote Jaddo, qui Regi jam per quietem in Macedonia apparuerat, quique Regem tam decore Hieroſolymis exceperat, qui Templo & choro Sacerdotum præerat, ideoque ſui vatem Oraculi agebat? Ad Pontifices namque ſpectaſſe ænigmata & arcana Religionum, fataque gentis exteris patefacere, verba Cæſaris oſtendunt, quibus Achoream Ægyptium Antiſtitem ita compellavit:

O ſacris devote ſenex, quodque arguit ætas,
Non neglecte Deis, Phariæ primordia gentis,
Terrarumque ſitum, vulgique ediſſere mores,
Et ritus, formaſque Deûm: quodcumque vetuſtis
Inſculptum eſt adytis profer, noſcique volentes
Prode Deos &c.

Cui ſic reſpondit Achoreas:

Fas mihi magnorum, Cæſar, ſecreta parentum
Prodere, ad hoc ævi populis ignota profanis
Sit pietas aliis, miracula tanta ſilere &c. (5)

Atque hæc ab hoc Vate per alluſionem modo ad ea, quæ omnibus in Oraculis ac Templis evenire conſueverant, dicta fuiſſe exiſtimari poſſunt. Haud ita tamen de iis cogi-

(5) *Lucan. Pharſal. Lib. X. v. 176. ſeqq.*

gitandum eſt, quæ Alexandrum inter & Jaddum intercedere omnino debuerunt; quum enim ignotum Regi eſſe non potuerit id quod dixerat olim Sophocles, *Σοφοῖς μὲν αἰνικτῆρα θεσφάτων αἰεὶ* (6); heinc dubitandum non eſt, Macedonem poſtulaſſe a Pontifice illorum ænigmatum interpretationem. Peracto itaque ſacrificio arcanum prodidit Regi ſummus Sacerdos Jaddus, quem elegantiſſimus recens *Alexandriados* Auctor ita cum Macedone de Daniele loquentem induxit:

Hic primum terris cecinit tua, maxime Regum,
Fata, ſub arcanis involvens verba figuris.
Namque illi Oceano e magno conſurgere quondam
Viſa per obſcuræ metuenda ſilentia noctis
Fulva leæna, duæ ſtabant cui tergore pennæ
Expanſæ, ingenteſque, olim ceu lapſa per auras
Alituum Regina vagas petit ardua nubeis.
Nimirum Aſſyriæ dominator fervidus oræ
Et Babyloniacæ gentis, populique ſubactor
Chaldæus, magnoque olim regnante Nabuco
Sceptra ferebantur verborum ambagibus iſtis.
Hinc urſo ſimilis villoſæ tegmine pellis,
Atque oculis, atque ore minax exurgit ab undis
Perſa potens, trino cui candent ordine dentes,
Im-

(6) *Apud Plutarch. de Pyth. Oracul.*

Imperii namque ipſe Pater tria Regna coegit
Sub juga Achæmenidum, quæ ingentia ſceptra Darius
Nunc tenet, at longos non iſte tenebit in annos.
Jamque vacillanti ſimilis, ſimiliſque ruenti
Uſque labat, nutatque diu; nam tertius alto
Surgit ab Oceano pardus, volucrique ſagittæ
Parque levi vento, aut excuſſo e nubibus igni.
Huic dextro geminæ a tergo, geminæque ſiniſtro
Conſurgunt alæ ingentes, totidemque ſub auras
Emittit capita alta jubis criſtata cruentis.
Optime Rex Macedûm te, te hæc arcana ferebant
Monſtra, tuoſque Duces, pardoque ſimillimus, Orbi
Jura dabis victo, quum formidabile nomen
Extremos feret uſque ingens tua fama ſub Indos (7).

V. Sed haud deerunt fortaſſe qui dixerint: ſi Oraculum ejuſmodi clare adeo noverat ſummus Sacerdos Jaddus, cur Regi in obſidione Tyri adhuc verſanti, poſtulantique per litteras ut ſibi Pontifex auxilium mitteret, atque exercitui commeatum ſuppeditaret, & quæcumque antea Dario ſtipendia pendebantur, ſibi ſolveret; cur, inquam, oblatam Regis amicitiam ſtatim ac li-

(7) *Alegr. Lib. Alexandriad. III. v. 207. ſeqq.*

libenter amplexus non fuit Jaddus, quippe qui divinitus deſtinatum ſciret Græcorum Regi Perſarum Imperium; ſed immo ſe ſuoſque numquam à Darii partibus receſſuros reſpondit? Qui tamen ita animadverteret, rerum ordinem iterum turbaret. Dum enim in obſidione Tyri adhuc verſabatur Rex, prope extra belli aleam Judæi adhuc eſſe videbantur; ideoque de Prophetarum Oraculis tunc & ſtatim magnum illud habituris complementum, ne quidem fortaſſe cogitabant; præſertim quum eſſent ea omnia ænigmaticis ſub umbris abſcondita & involuta, paucique adeo ſpiritum haberent Prophetarum; propterea neque Jaddo ipſi, ante habitum a Deo ſomnium, opinari debemus fuiſſe ſatis certoque manifeſta. Græcorum enim aliquem debellaturum tandem Perſarum Imperium ex Oraculis conſtabat; ſed talem Græcum non alium futurum quam Alexandrum, conſtare ante prælium Arbeliticum non poterat. Verum, Tyro, & Gaza expugnatis, factoque imminenti Hieroſolymorum ac totius gentis Judaicæ periculo, indixit Jaddus univerſo populo ſupplicationes, oblatoque ſacrificio, quum monitus a Deo fuerit in ſomnis, bono ut eſſet animo, utque coronata urbe, tam inſigni apparatu obviam procederet victori, haud ſane dubitandum, tunc etiam ipſi aperuiſſe Deum

ſen-

ſenſum Scripturarum, ac Pontificem certum reddidiſſe, fore ut Macedonum ille Rex, qui cum copiis adventabat, juxta vaticinium Danielis, totum occupaturus eſſet Orientem: ex quo proinde evenit, ut illius Oraculum Prophetæ potuerit demum Jaddus Regi tam feliciter manifeſtare. In illa autem præſenti rerum lætitia, illoque in communi gaudio, ac futurorum certiſſima expectatione, quid opportunum ac tempori accommodatum magis, quam quod a Rege Hieroſolymitani peterent, ut eos, qui in Babylone, & in Media erant Judæos, legibus ſuis uti ſineret? Quamvis enim ultra Euphratem nondum victricia arma tuliſſet Rex, Mediamque ac Babylonem adhuc Darius teneret; ea tamen ſupplicatione ac prece ſe haud minus quam Macedonas bonæ certæque ſpei plenos eſſe in favorem Alexandri Judæi oſtendebant.

VI. Sed ſi res ita ſe habuit, inquiunt adverſarii, ſique Judæorum petitioni annuit Rex, cur Judæi in caſtris Alexandri militantes, dum Babylone operam dare reſtaurationi ædis Beli recuſarunt, mulctis fuere, & plagis plurimis affecti? Cui tamen objecto facillima eſt reſponſio. Quippe ſi facta Regis cis, & ultra Euphratem vel obiter animadvertimus, reperimus, ipſum, dum ſe fortunæ permiſit, dediciſſe naturam; eum-

demque

demque priore vitæ ac Perſicæ expeditionis tempore, tanta modeſtia, tantiſque virtutibus præditum, poſteaquam potitus fuit Oriente, crudelem, ſuperbum, perfidum, atque immoderatum evaſiſſe (8). T. Livius in comparatione illa ſua Alexandri cum veteribus exercituum Ducibus Romanis, quos illo ſuperiores, ſi ad manus cum eo veniſſent, futuros fuiſſe, neſcio quomodo, præconcipiebat: *loquimur*, inquiebat, *de Alexandro nondum merſo ſecundis rebus*, *quarum nemo intolerantior fuit*. *Qui ſi ex habitu novæ fortunæ*, *novique*, *ut ita dicam*, *ingenii*, *quod ſibi victor induerat*, *ſpectetur*, *Dario magis ſimilis*, *quam Alexandro in Italiam veniſſet*, *& exercitum Macedonum oblitum*, *degenerantemque jam in Perſarum mores adduxiſſet*. *Referre in tanto Rege piget ſuperbam mutationem veſtis*, *& deſideratas humi jacentium adulationes*, *etiam victis Macedonibus graves*, *nedum victoribus*, *& fœda ſupplicia*, *& inter vinum & epulas cædes amicorum*, *& vanitatem ementiendæ ſtirpis* (9). Si itaque dum Babylone demum fuit, tanta evenit in ipſius ratione cogitandi, inque moribus ejus commutatio, quid mirum, ſi Judæos, quibus vivendi ſecundum proprias leges facultatem fecerat olim Rex, ad re-

(8) *Cic. Lib. XIII. Epiſt.* 28.
(9) *Lib. Hiſtoriar. IX.*

reſtaurationem Templi Beli cogere demum voluiſſet? Quamvis ne id quidem pro Joſephi teſtimonio jure ſtatui tamquam certum poteſt, videlicet ſcribentis, illud quidem fuiſſe pertentatum, *donec Rex eis ignoſcens, talis laboris gratiam fecit.* ἕως αὐτοῖς συγγόντα τὸν βασιλέα δοῦναι τὴν ἄδειαν (10). Facile igitur eveniſſe cogitandum eſt, ſecundarios aliquos exercitus Alexandri Duces, quibus imperatum fuerat, ut ad ædis Beli reſtaurationem milite uterentur, tum Judæorum Religionem ac mores, tum privilegia eiſdem a Rege Hieroſolymis conceſſa ignorantes, Judæos proinde etiam milites ad aggerendum humum in illa reſtauratione advocaſſe, repugnanteſque verberibus mulctaſſe: quorum tamen repugnantiam ſtatimatque cognovit Rex, vel in illa fortunæ ſuæ ebrietate promiſſorum memor, eos a labore ejuſmodi immunes fecit: quo rurſus facto ea, quæ de Profectione Hieroſolymitana Alexandri ſcripſerat Joſephus, magis magiſque confirmantur.

VII. Reliquum eſt ut de Jaddo Pontifice dicamus, cujus fata adeo callebat Flavius, ut demum ſcripſerit: *Per id tempus, quo vita defunctus eſt Alexander, deceſſerat vita Jaddus Pontifex, eique in Pontificatu ſucceſ-*

L *ſerat*

(10) *Lib. contra Apion. I. n. 22.*

ſerat Onias ejus filius. τετελευτήκει δὲ κατ' ἐκεῖνον τὸν καιρὸν ὁ Ἀρχιερεὺς Ἰαδδοῦς, καὶ τὴν ἀρχιερωσύνην Ὀνίας ὁ παῖς αὐτοῦ παραλήψει (11). Jaddum tamen Danielis Oraculum patefacere Domitori Aſiæ potuiſſe inficiantur nonnulli, ex eo quod Jaddus in genealogia Pontificum Judæorum a Nehemia nominetur, quare ad Alexandri ætatem, niſi habuerit pluſquam CCXXX. annos, pervenire non potuerit. Animadverſionem hanc mutuati a Benedicto Spinoſa critici ejuſmodi videntur; non quod iter Alexandri Hieroſolymitanum, & occurſum Jaddi in dubitationem revocare voluerit Spinoſa; ſed ex oppoſito, ut ex facto Alexandri librum Nehemiæ dudum poſtquam Judas Macchabæus Templi cultum reſtauraſſet, fuiſſe ſcriptum conſequeretur (12).

VII. Mirum vero quot quantaque in medium protulerint Chronologi, nec non Bibliorum ſacrorum Interpretes ut longævitatem Nehemiæ, & Jaddi tuerentur, atque ut Prophetæ ætatem cum ætate Pontificis conferrent, hujuſque epocham & Sacerdotium cum epocha & victoriis Alexandri conciliarent; quare Spinoſæ erratum oppugnarent ac everterent. Hac in adornanda ſparta præſtitere Scaliger, Alſtedius, Cappellus,

(11) *Lib. XI. Antiq. Judaicar. cap. VIII. n. 7.*
(12) *Tractat. Theol. Politic. cap. X.*

pellus, Huetius, Leydecherus, Calmetus &c. Chronologicis tamen calculis heic prætermiſſis, in eo ſiſtendum ducimus, in quo Exegetæ præclariores conſonant, non eumdem ſcilicet fuiſſe Jaddum Nehemiæ memoratum, cum Pontifice Jaddo, cujus occurſum Alexandro factum memorat Joſephus. Conferenti ſiquidem verba Nehemiæ, ad oculum patebit, a Sacerdotum ordine, qui in Jedaja, & rurſus in Jedajæ filio Nathanaele deſinit, Jaddum diſtingui, & utrobique in Levitarum modo claſſem redigi. Quum autem inter capita populi, Jaddus quoque aliquis recenſeatur a Sacerdotum ordine diſtinctus, ſequatur neceſſe eſt, diſtinctis temporibus alium in Levitis floruiſſe Jaddum, alium Pontificatu functum poſtea fuiſſe. Jeſua ſane, a quo, ordine generationis, Jaddus, de quo agitur, deſcendit, Jeſua, inquam, diſtinctus a Sacerdotibus, primum inter Levitas locum tenet. *Nec inſolens id adeo*, ut prudenter animadvertit, ac ſubdit Carpzovius, *ut cognomines reperiantur Hebræi, cum vel tres diſtinctos Joſuas legamus his ipſis capitibus, alium nempe filium Aſaniæ, alium filium Kadniel, alium denique filium Joſadak, omnes tamen ex ordine Levitarum. Quo obſervato, omnes circa longævitatem vel Nehemiæ, vel Jaddi facillime expediuntur tricæ, ut mirum ſit viros doctiſſimos,*

 qui

qui in iſtoc adeo diſſolvendo deſudarunt nodo, tam evidentem Scripturæ reſponſionem fugiſſe (13). Sic cl. Tourneminius duos diſtinguens Cyros, errorem detexit Herodoti, & Juſtini, qui unicum ponentes, funeſtam mortem, quæ alteri contigit, majori illius nominis aſſerunt Perſarum Regi, quem placido occubuiſſe fato Xenophon tam clare adfirmavit. Sane ſi ſcripſiſſet Flavius, Pontificem Jaddum, de quo verba Nehemias fecerat, illum fuiſſe, qui obviam proceſſit Alexandro, jure quis chronologicis ex difficultatibus narrationem ejus oppugnandam ſuſcepiſſet. Sed nihil ejuſmodi apud Hiſtoricum Judæorum reperitur. Itaque quum ejus teſtimonium alio de Jaddo ſumere fas ſit, immo ex ipſis difficultatibus oporteat, haud intelligimus, cur fuiſſe Jaddum aliquem a Nehemia memoratum, obeſſe narrationi poſſit, qua Jaddus alter dicitur obviam proceſſiſſe Alexandro.

IX. Quod de ſerie Pontificum Judæorum addebatur, poſt captivitatem Babylonicam, a Neutono elaborata, juxta quam ponitur Jaddus Pontifex ante ætatem Alexandri e vivis exceſſiſſe, neminem remorari debet. Notum quippe ſatis ſuperque eſt, non eundem fuiſſe chronologica in re Neutonum, ac

(13) *Introd. ad Libb. V. T. cap. XIX.*

ac in Phyſica fuit, in Geometria, ac Aſtronomia. Adverſus chronologiam celeberrimi illius viri ſtrenue, feliciterque diſſeruere Warburtonus, Whiſtonus, Soucietus, ac Freretus. Immo in Præfatione, quam Bougainvillæus præmiſit poſthumo Frereti operi adverſus chronologiam Neutoni, oſtenditur quare ob id ipſum quod incomparabilis fuerit Aſtronomus, Geometra, ac Phyſicus ille Anglus, haud æque probatus eſſe potuerit Chronologus; quum neque ab ingenio tempus, neque a diuturna meditatione ſiderum, lectio ac meditatio earum, quæ in Orbe evenerunt, mutationum ſuppleri poſſe videatur (14). Quemadmodum autem ſunt, qui chronologicas hypotheſes conferunt cum nonnullis hypotheſibus Philoſophorum, ita non deſunt qui Neutonianam chronologiam, quinque a veteri ratione temporum ejicientem atque auferentem ſæcula, cum hypotheſibus conferunt Harduini. Neutono ſaltem contigit id quod Chronologicis ceteris eveniſſe intelligimus. A puncto aliquo ſibi præfixi temporis diſcedunt omnes, deinde feliciter procedunt, ac tandem id quod ſibi propoſuerant animo recta conſequuntur.

 Sed

(14) *M. de Bougainville Préface à la Défenſe de la Chronologie fondée ſur les monumens de l'Hiſtoire ancienne contre le ſyſteme chronologique de M. Newton par M. Fréret num. VI. p. 50.*

Sed in electo principio, aut epocha. aut puncto adhuc cardo vertitur difficultatis. Heinc ſummi etiam in chronologia viri Scaliger, Petavius, Voſſius, Uſſerius, Marſhamus, Fourmontius &c. &c. ſingularibus in epochis figendis, Aſſyriorum præcipue, ac Babyloniorum, ac Perſarum Regum, infinitum diſſident.

X. Ceterum hæc remotiorem reſpiciunt antiquitatem. Neque tamen tutiora ſunt quæ Neütonus commentatus eſt in Danielem; incerta immo adeo videntur, ut neque probata fuerint admiratori ſuo, & opuſculorum ejus collectori, Johanni Caſtillionæo. Si de interpretatione autem loquimur eorum, quæ in novo Teſtamento ſunt Oraculorum, aliquid lenius a Neutono expectaſſent Neutoniani ipſi. Quod ad Pontificem Jaddum adtinet, videretur illius miniſterii & ſucceſſionis epocha, magis quam ab hypotheſibus chronologicis, a vetere aliquo catalogo Pontificum Judæorum repetenda. Et ſane, de ſucceſſione Judæorum Pontificum agens, qui in harum cognitione rerum omnes ſuperaſſe videtur Blaſius Ugolinus in ſuo Antiquitatum ſacrarum theſauro, veteres aliquos ejuſmodi catalogos, ſive potius veterum catalogorum laterculos adhuc reliquos quæſivit diligenter atque edidit; ſed de Summis Pontificibus

lo-

loquens a Sodocho uſque ad captivitatem, *circa numerum*, inquit, *nomina*, *& ſucceſſionem*, *magnæ ex ſacro Textu oriuntur difficultates*. *Perſpicua magis*, ſubdit, *deprehenditur ſucceſſio a condito ſecundo Templo uſque ad Simeonem ſecundum*, *quamvis de ſingulorum Pontificum annis mira ſit diſcrepantia inter Euſebium & Chronicon Alexandrinum* (15). In utriuſque tamen Catalogo Jaddus cernitur Alexandri tempore ſummus Judæorum Sacerdos.

XI. Colligi autem ex omnibus his poteſt, immo & debet, quam parum non dixerim prudentis, ſed critici immo viri ſit, leviſſimis ex conjectationibus, vel ex incertiſſimis diſſidentium Chronologorum hypotheſibus anſam ſumere oppugnandi Jaddi epocham a Flavio conſtitutam. Quum enim patrias hic traditiones ſumma fuerit diligentia perſequutus; quumque non modo Hebræus ex Hebræis fuerit, verum etiam ob Matathiam, ſeu verius Matthiam patrem ex ſummis Pontificibus deſcenderit; ætatem propterea, & domeſticam ſucceſſionem, & ordinem Pontificum Judæorum noſſe certius debuit, quam illi, qui ſerioribus demum ſæculis ex præconceptis opinionibus; atque ex dubiis, fractiſque mo-

 numentis

(15) *Tom. XIII. Theſaur. Antiq. ſacrar. Sacerd. Hebraic. cap. IX.*

numentis veterem turbare Hiſtoriam non verentur.

CAPUT XVII.

De Profectione Alexandri ad Oraculum Hammonis.

I. AGere in præſens placet de itinere Alexandri ad Oraculum Hammonis, de quo neminem adverſariorum noſtrorum dubitaſſe invenimus, ut hac profectione collata cum altera, de qua diſputamus, intelligat quiſque quænam majoribus difficultatibus ſit objecta. Et primo quidem de conſilio Regis adeundi illud Oraculum dicamus, equidem apud Hiſtoricos quam diverſo! Arrianus cupiiſſe Alexandrum conſulere Jovem ejuſmodi tradidit, quod fama eſſet, Perſeum, & Herculem jam olim illud Oraculum conſuluiſſe: fuiſſe autem Regi æmulationem cum Perſeo, & Hercule, quippequi genus ab utroque duceret; ſiquidem & ipſe ortum ſuum ad Hammonem referri vellet, quemadmodum genus Perſei atque Herculis fama referebat ad Jovem (1). Eodem actum Macedonem fine tradidit æque Caliſthenes apud Strabonem, qui nihil habuit

(1) *Lib. III. Exped. Alexand.*

buit tamen de genere Alexandri ducto a Perſea & Hercule; immo faſſus eſt, æmulationem illam Perſei, atque Herculis plurimarum fuiſſe in Hiſtoria Alexandri originem & cauſam fabularum (2).

II. Curtius non de Perſeo, & Hercule, ſed de Hammone ipſo, ceu generis ſui parente, Regem cogitaſſe ſtatuit (3). Diverſo tamen e fonte Alexandri conſilium repetit Juſtinus. " Ad Jovem, inquit, Hammonem " pergit conſulturus & de adventu futuro- " rum, & de origine ſua. Namque mater " ejus Olympias confeſſa viro ſuo Philip- " po fuerat, Alexandrum non ex eo ſe, " ſed ex ſerpente ingentis magnitudinis " concepiſſe. Philippus ultimo prope vitæ " ſuæ tempore, filium ſuum non eſſe pa- " lam prædicaverat, qua ex cauſa Olym- " piadem, velut ſtupri compertam, repu- " dio dimiſerat. Igitur Alexander cupiens " originem ſuam divinitus accipere, per " præmiſſos ſubornat Antiſtites, quid ſibi " reſponderi velit. Ingredientem Templum " ſtatim Antiſtites, ut Hammonis filium " ſalutant (4). " Quæ ſane omnia mendaciis referta eſſe, ex Athenæo Freinshemius evincit ſuo in Curtium Supplemento.

III.

(2) *Lib. Geograph. XVII.*
(3) *Lib. IV. cap. 7.*
(4) *Lib. IX. cap. 11.*

III. Revera quis a ſe impetrare valeat ut credat, Alexandrum adeo de majeſtate ac decore matris, ſuoque legitimo de ortu olim in Macedonia ſollicitum, ideo ad Hammonem perrexiſſe, ut Oraculum ſua de origine conſuleret, ac natalium reſtitutionem Cornigero a Deo impetraret? Næ tunc Rex inſanum illum fuiſſet imitatus, qui proprium patrem, quod numquam uxorem duxiſſet, nulli obnoxium fuiſſe injuriæ gloriabatur: qua ratione patris honori conſultum iri exiſtimans, nothum ſe manifeſtabat. Quis ſibi perſuadeat, Olympiadem confeſſam viro fuiſſe ſuo, non ex eo ſe, ſed ex ingentis magnitudinis ſerpente concepiſſe Alexandrum? Quare vero ſerpens ille interpretandus erat Jupiter Hammon? Num ſimilia Apulejus ſuis in Metamorphoſibus narraſſet? Prudenter ſane animadvertit Caſaubonus, dum de illis, qui talia commenti fuerunt, inquit: *Ridiculi ſane homines, qui talia ſcripſerunt, ac digniſſimi, quorum ſilentium qnamvis magno pretio redimeret Alexander. Dum enim mentiri non dubitant, ut etiam præter veritatem Alexandrum laudent, ſuis mendaciis id efficiunt, ut Alexandri expeditio multo minus nova ac mira videri poſſet, quam re eſſet ipſa* (5). Et vero, ſi

(5) *Not. in Lib. Strab. XI.*

ſi Philippum non agnoſcebat patrem Alexander, quærere cur inſtituit, an omnes parentis ſui interfectores pœnas dediſſent? &, quod repugnat adhuc magis, inducitur a nonnullis Vates reſpondens Regi, cunctos Philippi interfectores pœnas luiſſe; quum tamen pœnas nondum adhuc illo dediſſet tempore Lynceſtes, quem in Philippi cædem cum Pauſania conjuraſſe pro comperto fuit (6). Qua demum ratione credere potuiſſet Alexander, ducere ſe genus a Perſeo, & Hercule, niſi ſe verum Philippi filium exiſtimaſſet: quum fama nempe tunc foret, genus ab Hercule repetere Macedonum Reges, Olympiadem vero ab Achille?

IV. Nihil de forma & habitu Hammonis ait Arrianus, nihil de Sacerdotibus & virginibus carmen concinentibus, nihil de petitionibus Regis, vatumque reſponſis. Duas interrogationes ponunt Diodorus, & Curtius, plures Juſtinus. Maximus Tyrius Alexandrum, poſteaquam filii nomine donatus fuiſſet ab Hammone, ſciſcitatum ait de Nilo, quibuſque e fontibus in Ægyptum deferretur (7). Reſponſa, non verbis, ut apud Delphos, & Branchidas, ſed nutu & ſignis data ab Oraculo fuiſſe, vate nimirum Jovem imi-

(6) *Curt. Lib. VII. cap.* 1.
(7) *Diſſert. XLI.* 1.

imitante, nonnulli narraverunt (8); alii ex oppoſito vatem græce loquutum induxere (9). Juxta nonnullos Oraculi illius Antiſtes fuit virgo, perpetua virginitate inſignis, recumbens in ſacello, quaſi quæ ſola digna eſſet conſortio & familiaritate Dei Oracula fundentis. Quid illa de Rege, ſe non modo Jovis filium appellari tunc paſſo, verum etiam jubente; quum devictis modo, ſubactiſque Perſis, ac Medis, & Parthis, & Hyrcanis, & Scythis, innumeriſque aliis gentibus, cœperit de cæleſtibus honoribus uſurpandis cogitare (10)? Num Caliſthenes, Anaxarchus, Philotas, ceterique Græci proceres inſano Regis conſilio tam pertinaciter ac aperte Babylone reſtitiſſent, ſi auctor olim fuiſſet eiſdem Hammon, ut divinis demum honoribus proſequi ipſum debuiſſent?

V. Jam ſi duces viæ quærimus, alii dracones duos nobis narrant clamore edito agmen præcedentes, qui illud in Oraculi ſedem duxere ac deduxere; alii complures corvos agmini occurrentes, qui modo reſiderent quum levius agmen incederet, modo pennis ſe levarent, monſtrarentque iter; quique vocibus & crocitu, ſi qui ex Alexandri

(8) *Apud Strabon. Lib. Geograph. XVII.*
(9) *Plutarch. vita Alexand.*
(10) *Curt. Lib. VIII. cap. 10.*

xandri ſociis nocte aberraſſent, hos revocarent, adque veſtigium viæ celeriter reducerent: quæ quidem ex Græcanicis deducta fabulis fuere, juxta quas Africam peragrante patre Libero, quum exercitus ejus ſiti premeretur, arietem ducem milites ſequuti dicebantur: eoque ipſo, quo deinde Hammonis delubrum fuit, loco ingentem aquarum vim ſcaturiiſſe (11). Conſulto Oraculo *Alexander*, inquit Arrianus, *eodem, ut Ariſtobulus auctor eſt, quo venerat, itinere: ut vero Ptolomæus ſcribit, rectiore via Memphim verſus, in Ægyptum rediit* (12). Ubi egregios rurſus animadvertas velim Regis comites ac ſocios, diverſam ejuſdem itineris viam deſcribentes. Arrianus denique, & Plutarchus Alexandriam conditam a Macedone ante peregrinationem ejus ad Hammonem ſcribunt; Curtius, & Juſtinus exacta demum tali profectione.

VI. Anteaquam tamen proficiſceretur ad Hammonem ecquid præſtitit juxta Scriptores vitæ ejus Alexander? Progreſſus, inquiunt, in Ægyptum, ubi trajecto flumine Memphim venit, gymnicis ac muſicis celebratis ludis, tum reliquis Diis, tum Iſidi atque Apidi ſacrificium fecit. Scilicet ethnici plurimum Auctores, quo ritu proprios

(11) *Hygin. Vol. II.*
(12) *Lib. III. Exped. Alexand.*

prios ipſi colebant Deos, eodem gentes alias ſuos colere conſueviſſe facile credebant: ideoque & Ægypti Deos gymnicis, muſiciſque ludis, & Græcis ſacrificiis fuiſſe a Macedone placatos tradidere; quum contra vetere ex Auctore, ejuſmodi in rebus toto, intelligamus, Græca quidem numina choreis, & cantibus, & ludis fuiſſe adorata, ſed Ægyptiaca plangoribus, Barbarica vero ſtrepitu cymbaliſtarum, & tympaniſtarum, & choraularum; *itidem*, ſubdit ille, *pro regionibus & cetera in ſacris differunt: pomparum agmina, myſteriorum ſilentia, Sacerdotum officia, Deorum effigies, Templorum religiones, hoſtiarum colores: quæ omnia pro cujuſque more loci ſolemnia & rata ſunt* (13). Diſcrimina autem hæc adhuc Alexandri tempore vigebant, teſtante Dionyſio Halicarnaſſæo, qui dudum poſt ætatem Regis illius floruit & ſcripſit, haud potuiſſe longam ſæculorum ſeriem, ad ſuam uſque ætatem, ut patrios cultus dediſcerent, aut mutarent aliquid in cæremoniis Deorum vel Ægyptii, vel Afri, vel Celtæ, vel Scythæ, vel Indi, vel ulla alia gens barbara, præterquam qui aliorum in poteſtatem redacti, coacti fuere ritus recipere exterorum (14): qua de vi cuiquam inferenda numquam cogitavit Alexander.

(13) *Apulejus de Deo Socratis p.* 685.
(14) *Dionyſ. Halicarnaſſ. Lib. VII.*

VI. Tot jam vero, tantique ludi illi muſici ac gymnici fuere tota in Ægypto, juxta Hiſtoricos ejus, a Rege celebrati, ut totidem ſummo in otio, ac domeſtica in ſolitudine ac quiete peragere numquam potuiſſet: quodque mirandum magis, ea præſtitiſſe dicitur Rex in Ægypto, ubi nulla tunc reliqua jam eſſe poterant Numinum Ægyptiorum ſimulacra, quæ, in fugam ac in deſertum jamdiu actis Sacerdotibus, inde abſtulerat Cambyſes, cujus inſaniam & crudelitatem ut ſenſerint Æthiopes, Ægyptii, alieni, propinqui, externi, domeſtici Herodotus fuſe deſcripſit in Thalia. Ad hæc, urbem ſuo de nomine deſignare cœpit Rex, & quo loco forum ædificandum foret, quo exſtruenda Templa, qua amplitudine circumducendus eſſet murus præſcripſit. Sed & majora adhuc tunc temporis perfecit; non enim ex finitimis modo urbibus commigrare Alexandriam novis incolis juſſis urbem multitudine maxima implevit, ſed & bellicas alias expeditiones inſtituit, legationes variarum gentium excepit; Ægypti Imperium plures in partes partitus eſt, haud tutum ratus novum uni committere univerſum. Sane, ſi animadvertimus, nonniſi Januario menſe Alexandrum ingredi Ægyptum potuiſſe, egreſſum vero ex illa

eſſe

eſſe *ineunte vere* (15), equidem illis in regionibus maxime tempeſtivo,

Zephyris primum impellentibus undas;
Ante novis rubeant quam prata coloribus, ante
Garrula quam tignis nidum ſuſpendat hirundo;

Si hæc, inquam, perpendimus, concipere erit impervium, tantum temporis Regi reliquum fuiſſe, ut ad intimas Libyæ ſolitudines, in quibus erat Oraculum Hammonis, ſe ſe potuerit conferre.

VII. Sed ſtatum & conditionem rerum tunc temporis conſideremus. Majoribus tunc viribus bellum reparabat Darius, ejuſque Legati ad ripam Euphratis copias colligebant; quare extremos Perſarum conatus Macedonem adhuc ſuperare oportebat, quo tota demum Aſia, atque integra victoria potiretur. Quî cogitemus itaque Alexandrum, tot curarum adhuc fluctuantem æſtu, & qui poſitam in celeritate palmam ſemper duxerat, inanes trahere tunc voluiſſe moras, & huc illucque, vagantis inſtar, curſitare in Africa & oberrare, unde majores animos Perſæ ſumerent, ad res, vireſque ſuas exercitu validiore comparato reparandas? *Cupido haud injuſta quidem*, ſcribit

(15) *Arrian. Lib. III. Exped. Alexand.*

ſcribit Curtius, *ceterum intempeſtiva inceſſerat, non interiora modo Ægypti, ſed etiam Æthiopiam inviſere. Memnonis, Tithoniſque celebrata Regia, cognoſcendæ vetuſtatis avidum trahebant pene extra terminos Solis. Sed imminens bellum, cujus multo major ſupererat moles, otioſæ peregrinationis tempora exemerat* (16). Porro ſi otium Macedoni non fuit adeundi Thebanum agrum, ubi Memnonis Regia erat, multo minus veriſimile videtur, tempus inſumere ipſum voluiſſe in Profectione ad Hammonem.

VIII. Si inquiras quantum diſtans ille fuerit a locis ubi tunc erat Alexander, in re quoque ejuſmodi variare invenies Auctores. Lucanus ſedem illius Dei deſcripturus dixerat:

Ventum erat ad Templum, Libycis quod Gentibus unum
Inculti Garamantes habent: ſtat certior illis
Juppiter, ut memorant, ſed non ut fulmina vibrans,
Aut ſimilis noſtro, ſed tortis cornibus Hammon.
. . . .
Deprenſum eſt, hunc eſſe locum, qua circulus alti
Solſtitii medium ſignorum percutit Orbem &c. (17)

(16) *Lib. IV. cap.* 8.
(17) *Lib. Pharſal. IX.* 511. *ſeqq.*

Poeticam quamdam hyperbolem hac in deſcriptione ſibi videre viſi ſunt Scholiaſtæ, quemadmodum legere eſt in copioſiſſima editione Oudendorpii; ex Geographia ſcilicet atque ex Aſtronomia Garamantes ſub æquinoctiali circulo poſitos fuiſſe non inveniunt: quamquam ubinam revera fuerit Hammonis ſedes, demum ſe ignorare fateantur. Raderus Curtium illuſtrans dicentem de Regis itinere cornigerum ad Deum, excitatis Plinii, ac Strabonis teſtimoniis, iiſque cum teſtimoniis Scriptorum Vitæ Macedonis collatis, quod videre magis eſt in editione copioſiore Snakenburgii (18), turbare quidem ipſos aliquo modo non negat: attamen, ne in calculis illis referendis faſtidium ac tædium lectori moveamus, ſubducta ratione intelligitur, in itinere præſertim adeo impedito, quindecim pluriumque dierum tempus ejuſmodi Profectioni tribuere Alexandrum debuiſſe, cui, ſi moram adjicias, reditumque, ſive Memphim verſus, ſive eadem, qua proceſſiſſet, a Parætonio, ut inquiunt, via, nonne pluſquam menſem inani illa in conſultatione imprudenter conſumpſiſſet? Sane, ſi Alexandri vitæ Scriptores excurſum poſuiſſent, quem expedito itinere paucis cum ſociis

Rex

(18) *Not. in Lib. IV. cap.* 8.

Rex feciſſet ad Hammonem, id non adeo repugnare videretur. Aſt cur tale iter cum toto exercitu feciſſet? Num ignorare ille poterat id quod Cambyſi eveniſſe ſcripſit Seneca? *Aliquando Cambyſes ad Hammonem miſit exercitum, quem arena auſtro mota, & more nivis incidens, texit, deinde obruit* (19). Servius ad illa Æneidos III.

Et deſerta ſiti regio,

Libyam inhabitabilem vocat, propterea quod aquam non acciperet de cælo. Num copiæ impendente adhuc belli nondum exacti mole, tanto erant periculo imprudenter exponendæ?

IX. Opportunum jam vero animadvertere erit, familiare cunctis evaſiſſe ethnicis Scriptoribus, ut Hammonis Oraculum advocarent tunc etiam ubi nullas illud habebat partes, eique ut omnia quæcumque vellent, quamvis minime veriſimilia, tribuerent. Exemplum habemus in Lucano, qui, occaſione receptus Catonis in Africam, hunc prope ſedem Hammonis tranſeuntem inducit, ac Labienum ipſum hortantem ut conſuleret Deum: quo tamen de itinere vel acceſſu nullus illarum Hiſtoricus rerum, aut

(19) *Seneca Lib. Natural. Quæſt. II. cap.* 30.

probatus vitæ Catonis Scriptor mentionem fecit: in eo ceterum laudandus Vates, quod habita morum Catonis, & Philoſophiæ ejus ratione, &, quemadmodum Seneca Rhetor ſcripſerat, Divinitatem animadvertens, non alium potiorem Antiſtitem invenire ſibi potuiſſe, quam ipſum Catonem (20); hunc propterea Hammonias deſpicientem ſortes induxit, ac Labieno reſpondentem:

Quid quæri Labiene jubes? . . . . . :
. . . . Nec vocibus ullis
Numen eget, dixitque ſemel naſcentibus Auctor
Quidquid ſcire licet; ſterileſne elegit arenas
Ut caneret paucis, merſitque hoc pulvere verum? &c. (21)

Sed hæc poetica: illa vero apud Ethnicos ſeriora, quæ Tacitus de Judæorum origine verba facturus, ſcripſit: *Plures Auctores conſentiunt, orta per Ægyptum tabe, quæ corpora fœdaret, Regem Bocchorim, adito Hammonis Oraculo, remedium petentem, purgare Regnum, & id genus hominum, ut inviſum Diis, alias in terras avehere juſſum* (22). Si hanc in rem, ſive fabulam conſulti Hammonis occaſione exitus Iſraelitarum ex Ægypto

(20) *Controverſiar. Lib. I. Proœm.*
(21) *Lib. Pharſal. IX. 566. ſeqq.*
(22) *Lib. Hiſtoriar. V.*

pto plures Auctores, Tacito teſte, conſenſere, cur non in hanc aliam conſulti ejuſdem Oraculi a Macedone conſentire potuerunt? Et vero jam olim parum abſuit quin ea, quæ de itinere Regis cornigerum ad Deum Veteres ſcripſere, fabuloſa & falſa exiſtimaverit Strabo: eadem ſaltem adulatorie ac tragice exaggerata fuiſſe contendit (23). Inde via prope aperiretur conjectandi, ea, quæ Ethnici de ſacrificio, & Oraculo, & reſponſis de ſuperando Perſarum Orbe Regi in auſpiciis expeditionis ſuæ patefactis, ex vaga, incertaque fama ſeriore demum tempore ſcripſere, non aliam fortaſſe originem habuiſſe, quam ea, quæ Macedoni Hieroſolymitano evenerant in Templo: quare abſit adeo, ut Flavius Numen Hieroſolymis cultum callide Hammoni ſubſtituerit (quæ bella fuit Vandalæi cogitatio), ut ſatius viderentur Gentiles ipſi Scriptores Hammonem ſubſtituiſſe Numini Hieroſolymis conſulto, & cornigerum ad Jovem Oracula Danielis tranſtuliſſe.

X. Hoc autem etiamſi non injuria fortaſſe ſuſpicari quis poſſet, quia incertum tamen, minime urgemus. Illud optaremus modo, ut Critici intelligerent quam inutile & vanum ſit levibus ex conjectationibus,

 immo

(23) *Lib. Geograph. XVII.*

immo ex iis etiam, quæ leves aliquando non videntur, facta negare probatis ab Hiſtoricis memoriæ conſignata. Si ſæculo nos viveremus, quo nonniſi conſueta fierent & audirentur, veniam Criticis daremus; ſed eo temporis vitam toleramus, quo mira adeo quotidie & inſolita, tum civili in vita, tum etiam populorum in legibus ac moribus eveniunt, ut quamvis ſub oculis cadant noſtris, ea pene credere valemus. Cur itaque ea, quæ tanto ante nos tempore facta ſunt, ſi cum aliquibus Critices legibus, quas otioſi conſtituimus, amuſſim non conveniunt, ſtatim inficiabimur? Quam recte ſcripſit Auctor, cui aliquando quidem læta materies, ſed aliquando etiam ſeria & gravis eſt! *Quel dommage, que la mauſſade Hiſtoire s'oppoſant toujours à nos raiſonnemens ſolides, empêche dans ce cas, comme dans mille autres, un Philoſophe, ſubtil raiſonneur, de parvenir à la fin, ſans donner un démenti à cette bavarde, qui, & c'eſt ce qu'il y a de pis, a toujours raiſon* (24). Saltem id dicimus, mirum prorſus eſſe, ut dum Recentiorum neminem invenerimus, qui innumeras ob ambages, diſſonanteſque fabulas, quæ in narrationibus itineris Alexandri ad Hammonem reperiuntur, de tali iti-

(24) *L'Idolatrie de ce ſiecle &c.*

itinere dubitandum duxerit; aliqui ex oppoſito non deſint, qui de Profectione dubitent Alexandri Hieroſolyma; aliqui eam etiam negent, quamvis, ſive expeditionem reſpicias, ſive occurſum, ſive ſacrificium, ſeu Oraculum, ſeu reſponſum tot graviſſimorum teſtimonio Scriptorum confirmatum, illius Regis cum ingenio & animo, cum rerum tunc temporis facie & ſtatu, & reliqua cum Hiſtoria & eventu perfectiſſime conveniat.

CAPUT XVIII.

De ejuſmodi Vindiciarum cauſis. Epilogus Diſſertationis.

I. Antequam receptui canamus, anſam nobis præbet dicendi de hujuſmodi vindiciarum cauſis nonnullorum animadverſio. Quì enim, inquiunt, potuit Alexander ſacrificium offerre vero Numini acceptum, ille, inquam, Alexander, qui tot ubique & ſemper falſis obtulit Diis ſacrificia, quique toto vitæ ſuæ tempore neque a vitiis, neque a ſuperſtitionibus ethnicis diſceſſit? Ex quibus inferunt, nullo laudandum modo videri eorum, qui de tali Profectione vindicanda ſe oſtendunt ſollicitos conſilium.

II. Huic itaque animadverſioni ut faciamus ſatis, vario dicendum eſt de aſpectu, ſub quo conſideratum diverſis fuit ab Scriptoribus factum Alexandri, deque eo, ſub quo jure meritoque debet conſiderari. Fuere, qui factum ejuſmodi ſub aſpectu hiſtorico tantum reſpexere, quique, abſque ira & odio diſputantes, ex Ethnicorum, quod poſuerunt, ſilentio illam Regis Profectionem in dubium revocari poſſe putaverunt. Adverſus iſtos autem ſatis fuit ejuſmodi Profectionem tamquam factum ad hiſtoricam veritatem ſpectans propugnaſſe; atque oſtendiſſe, eam Gentilibus a Scriptoribus fuiſſe aliquo ſaltem modo indicatam: neque tamen ab eiſdem jure ſummo eſſe poſtulandam; ſed potius a Scriptoribus Judæis. Nam quemadmodum ea, quæ ad leges pertinebant, & ad mores, adque conſuetudines Græcorum & Romanorum, non in Antiquitatum Judaicarum theſauro, ſed in theſauris quærimus Antiquitatum Græcarum, atque Romanarum; ita quæ apud Judæos evenere, non a Græcis aut Romanis Scriptoribus expectanda ſunt, ſed ab Auctoribus, qui in Judæa floruere. " Conque-
" runtur de me nonnulli, ſcribebat vir cl.
" Blaſius Ugolinus ad Cardinalem Joſephum
" M. Ferroni, quod eruenda, exponenda-
" que curaverim vetuſtiſſima Hebræorum

" mo-

" monumenta, ex quibus in tantis vetuſta-
" tis tenebris Philologiæ ſacræ plurimum
" lucis impertiri poſſet: quaſi videantur
" iſtorum judicio improbandi, qui tanta
" cum laude Græca ex Græcis, & Roma-
" na ex Romanis illuſtranda ſuſcepere: præ-
" ſertim cum nulla Litteris ſacris a Græ-
" cis, Latiniſque Scriptoribus expectanda
" ſint præſidia, cum ab iis Hebræorum An-
" tiquitates, gentis ſive invidia, ſive in-
" famia, vel neglectæ, vel ignoratæ ſint.
" Deneganda ne erit Judæis in rebus ſuis
" ea fides, quam plerique omnes Græcis,
" nugaciſſimis Scriptoribus, in rebus pa-
" triis merito habendam cenſuere? Neque
" enim exiſtimandi ſunt Hebræi tanta vel
" impudentia, vel ſtultitia fuiſſe homines,
" ut credantur, nulla compendii, atque
" utilitatis propoſita ratione, conſulto, quo
" ab omnibus irriderentur, deſipere & men-
" tiri voluiſſe (1)." Quum itaque teſtimonia Veterum illorum habeamus, qui Judæorum de rebus eſſe ſolliciti debebant, Ethnicorum, etiamſi omnino fuerit, de Profectione Alexandri Hieroſolyma ſilentium, nullius momenti eſt ad eam labefactandam argumentum.

III.

(1) *Epiſt. Nuncup. Tom. XVII. Theſauri Antiquit. ſacrar.*

III. Haud deſunt, qui factum ejuſmodi, utpote ad Victorem Perſarum, ac totius Orientis ſpectans, ab aliquo Scriptore Perſa confirmatum optarent, aut ab aliquo eorum, qui ſub prioribus Seleucidis, aut Lagidis florere potuerunt. Hoc tamen votum haud mediocri laborare videtur levitate; ſiquidem qui ejuſmodi tenentur deſiderio, præconcipere videntur, Hiſtoricis regiones illas ſtatim poſt Alexandrum abundaſſe: non animadvertentes, Caſſandros, Lyſimachos, Seleucos, Antigonos, Ptolomæos, eorumque ſucceſſores, Imperium a perfidia auſpicatos eſſe, eorumque Regna, ut ait vir doctus, non multo diſcrepaſſe ab Argivis illis, & Micænis, atque Thebanis Regnis, quæ ſegetes fuere tragediarum. Parthi, vix mortuo Alexandro, ab Antigono Theo primum deficientes, deinde Seleuco Callinico victoria inſigni ſuperato, pulſis ac deletis omnibus Macedonum præſidiis, Imperium Arſacidarum conſtituerunt nomini Macedonico infenſum. Abeſt adeo ut regiones illæ probatos tunc temporis habere potuerint Hiſtoricos; aut, ſi qui fuerunt, de Alexandri facto, in Judæa præſertim perpetrato, poſteriorum memoriæ conſignando ut cogitaverint. Bene immo nobiſcum agitur, pervii ut non ſint Orientales ejuſmodi geſtorum Alexandri Scriptores, quum tam aperte

mo-

monuerit Strabo: Οὔτε τὰ παλαιὰ τῶν Περσικῶν, οὔτε τῶν Μεδικῶν, ἢ Συριακῶν εἰ πίστιν ἀπικεῖτο μεγάλην διὰ τῶν συγγραφέων ἁπλοτῆτα, καὶ τὴν φιλομυθίαν (2), videlicet, Perſarum, Medorumque, ac Syrorum Hiſtoriis, ob Scriptorum illarum gentium imperitiam, ac nimium eorum in fabulas amorem, numquam fuiſſe multum fidei tributum. Forent illæ fortaſſe Rabbinicis cum fabulis de Alexandro in Johannis Henrici Otthonis Hiſtoria Doctorum Miſnicorum collectis conferendæ.

IV. Alii ſilentio Gentilium Scriptorum ſuas non mala fide adjecere, ut vidimus, conjectationes. Sed in mari magno conjectationum navigare, perinde videtur eſſe ac ſe ſe periculo exponere Scepticæ procellæ. In arte quoque, & in negotio conjectandi neceſſaria eſt moderatio.: prudenſque & rectum ac temperatum judicium eſt omnibus ingenii ſubtilitatibus anteferendum. Nonnullæ difficultates qua proponuntur facilitate, eadem etiam ſolvuntur: quumque ejuſmodi videantur omnes, de quibus diſputavimus, nihil heic eſt quod adjicere neceſſarium ducamus.

V. Sunt tandem qui diverſo ſpiritu, pluribus ſatis noto, Flavii narrationem, & tactum

(2) *Strabo Lib. VI.*

ctum Macedonis oppugnandum non modo ſibi ſumant, ſed eos quoque reprehendendos exiſtiment, qui illud propugnare pergunt; & ne odio Religionis id præſtare videantur, Religionem ipſam obtendunt, quæruntque, qui laudari poſſit tamquam Religioni honorificum, ſacrificium ethnico ab homine Numini oblatum? Hoc enim pacto, ſubdunt, commendari Tamerlanes poſſet, qui Syriam invadens ac permeans, ad Monaſteria Maronitarum montis Libani acceſſit, ac eorum Liturgiæ, quamvis a Chriſtiana Religione quammaxime alienus, interfuit. *Tamerlan*, ſcribit Hiſtoricus, *n'étoit ni Muſulman, ni de la ſecte du grand Lama; mais il réconnoiſſait un ſeul Dieu. Il ſouffrait également les Muſulmans, & les Lamiſtes, & les Idolâtres. Il aſſiſta même en paſſant vers le mont Liban aux cérémonies religieuſes des Moines Maronites qui habitent dans ces montagnes*. Verum, quemadmodum niſi *indifferentiſmo*, aut curioſitati Tartari hujus Principis, quem Arabes Scriptores ac Perſæ cum Macedone ſemper conferunt, afferi non poteſt ejuſdem ad Monaſteria montis Libani acceſſus, & quod ſacris eorum cæremoniis interfuerit; ita niſi iiſdem affectibus tribui non debet Profectio Hieroſolymitana, & ſacrificium Alexandri.

VI.

VI. Hoc tamen ratiocinari pacto, idem eſt ac diſſimilia objecta in unum confundere ac permiſcere. Imprimis enim, dum de veritate, deque exiſtentia alicujus facti agitur, haud ſimul agitur de merito, deque præſtantia illius. Neque qui propugnant Alexandrum revera victimas Hieroſolymitano in Templo obtuliſſe, æque tuentur atque ſimul, eas fuiſſe Divino Numini acceptas: eadem ratione ac ſi quis ex Maronitarum monumentis adverſus inanes aliquorum conjectationes propugnaret Tamerlanem Chriſtianæ illi revera adfuiſſe Liturgiæ, haud propterea inferri vellet ejuſmodi actum fuiſſe æterno Numini acceptum. Ponito Scriptorem Hiſtoriæ Macchabæorum Vindicem, qui contendat Antiochum Epiphanem Syriæ Regem revera ſe ſe Deo demum ſubjeciſſe, ac ſuorum ab eo delictorum veniam poſtulaſſe. Sequeretur ne haud dignum fuiſſe quod vindicaretur illud factum; vel perperam aut imprudenter eos agere qui illud vindicarent, propterea quod non erat Rex ille miſericordiam a Deo conſequuturus. (3)? Minime ſane gentium: quippe quæſtio de exiſtentia ac veritate facti non debet cum quæſtionibus de merito, ac imputatione, & approbatione, vel re-

(3) *II. Macchab. IX. 12. 13.*

reprobatione ejuſdem permiſceri & confundi.

VII. Sed neque confundi aut permiſceri ſemper debet agentis conditio cum conditione actionis atque operis. Qui Eſtheris Hiſtoriam vindicantes, oſtendunt Aſſuerum Regem Perſarum Judæos revera ab imminenti excidio liberaſſe, ſuis eos vivere legibus moribuſque indulſiſſe, Eſtherem exaltaſſe & Mardochæum, ac Deum Iſraelis laudibus ſummis celebraſſe; haud propterea contendunt Regem illum ad Dei populum ſpectaſſe, atque hominem fuiſſe æterno Numini acceptum. Quod idem de ſexcentis aliis dicere eſt in Sacra Scriptura memoratis. Immo fac geſta aliqua ejuſmodi non ſine laude memorari; haud profecto ſequitur, eos æque laudari qui ea operati ſunt: duo enim animadverterunt ſemper Sancti Patres, & cum Patribus Exegetæ omnes, ac Sacrorum Dogmatum Interpretes: alterum eſt: Deum confeſſionem veritatis ab ipſis idololatris exprimere non ſemel voluiſſe: quemadmodum patet in mox allegato Regis Syriæ Antiochi exemplo, ac in Nabuchodonoſorre, qui Danielem *ſervum Dei viventis* appellavit (4); veri nempe ac ſupremi omnipotentis Dei, non fal-

(4) *Daniel. VI. 20.*

ſalſorum, ut ſuæ Gentis, Numinum; quique audita ab illo Propheta ſomnii ſui interpretatione, cecidit in faciem ſuam, & Danielem adoravit; & hoſtias & incenſum præcepit ut ſacrificarent (5); non tam Danielem, ſed, ut heic animadvertiſſe vidimus Hieronymum, in Daniele adorans Deum, cujus myſteria Propheta revelaverat. Alterum eſt: bona opera, quæ aliquando idololatræ fecerunt, non ipſorum, ſed illius, qui bene non ſemel utitur malis etiam hominibus, opera fuiſſe; ideoque, dum illa commendantur, prædicari præſertim Deum, cujus voluntate ac ope illa fuere perpetrata: proindeque, quemadmodum dum mox adductum commendatur Aſſueri factum, Deus ipſe collaudatur, qui cor Regis ab indignatione ad lenitatem ſubitam convertit; ita dum vindicatur factum Alexandri, Deus magis collaudatur, qui per ea, quæ tunc præſtitit, vertit procellam in auram, Judæoſque ex propinqui exitii metu, non in ſpem incolumitatis modo, ſed inopinatæ in gratiæ fidem erexit, & Victoris in eos amore & præſidio confirmavit.

VIII. Jam vero Scriptores illi Arabes ac Perſæ, qui Tamerlanem conferunt cum Alexandro,

(5) *Daniel. II.* 46.

xandro, eo ſe pacto eſſe oſtendunt Scriptores Arabas ac Perſas, ingenium ac virtutes hominum ex Geographia metientes, ſive ex regionibus modo, quas duo illi Principes victoriis peragrarunt. Secus cogitabunt tamen qui noverint Heroas eſſe aliis ponderibus librandos. De utriuſque virtute tamen ac bellica fortuna heic ad nos diſſerere non ſpectat, neque etiam de diverſa ipſorum indole atque agendi ratione, in quibus abeſt adeo ut invicem comparari mereantur, ut nullam fortaſſe majorem repereris diverſitatem. Qui enim conferas Principem ſplendidiſſima in Aula, Græcia tum maxime floreſcente, natum, & a Præceptoribus egregiis inſtitutum, Tartaro cum homine, nonniſi inter Barbaros verſato: Principem præſtantioribus de Litteris, deque Artibus elegantioribus, ac peritioribus Artificibus tam egregie ſollicitum, cum homine, a quo Litteræ, Artifices atque Artes infinitum damnum accepere: Principem, qui Aſtronomicas Chaldæorum obſervationes, quæcumque illæ fuerint, ſuos eruditionis cauſa miſit ad Græcos, cum homine Aſtrologiæ judiciariæ devicto & adſtricto: Principem denique, qui breviſſimo Regni tempore innumeras urbes condidit, & Græcorum coloniis univerſum Orientem implevit; qui Regna ac libertatem victis

Regi-

Regibus ac populis donavit; immani cum Victore, qui diuturno victoriarum & vitæ ſuæ tempore innumerabiles urbes diruit, vaſtavit, incendit, & ampliſſimas Provincias in cineres redegit? Ejuſmodi tamen diſſimilitudines nihil prope ſunt reſpectu diverſitatis objecti, de quo agimus in præſens.

IX. Non enim heic agitur de ſolo acceſſu Alexandri Hieroſolyma, qui propterea cum acceſſu Tamerlani ad Maronitarum Monaſteria valeat conferri; ſed majus aliquid reſpicitur, ingens, mirificum, excelſum, totum ſcilicet conſideratur narrationis factum, ex Alexandri ſomnio coaleſcens, atque ex ſomnio etiam Jaddi, ex præcepto a Deo Judæorum occurſu, & ingreſſu pacifico Regis Hieroſolyma, ex victimis ejus nomine ſacra in Æde Numini oblatis, ex Oraculo patefacto a Pontifice, & a Macedone accepto, ex effectibus deinde, qui longe lateque provenerunt; neque ex omnibus hiſce modo inter ſe collatis & conjunctis, ſed multo magis ex eiſdem omnibus conjunctis & collatis cum veterum vaticiniis Prophetarum, juxta quæ ſub eo Aſiæ Domitore ſumma in tranquillitate & pace futuri erant, quemadmodum revera fuerunt, Judæi, & victoriis illius transferendum erat Orientis Imperium a Perſis ad Græcos, eadem ratione, qua jam antea ejuſ-

modi Imperium juxta eorumdem vaticinia Prophetarum, ab Aſſyriis ad Medos, & a Medis ad Perſas fuerat translatum. Harum igitur mirabilis ac divinitus effecta rerum complexio, quæ narrationem conſtituit Joſephi, illudque totum, ut ita dixerim, quod ex earum complexione coaleſcit ac emergit, quodque infinitum a curioſitate differt, ſive, quacumque proceſſerit e cauſſa, ab acceſſione Sogdiani Principis ad Maronitas; tale, inquam, illud eſt, ut, hoc ſub aſpectu conſideratum, adverſus vanas aliquorum conjectationes vindicari merebatur.

X. Hugo Grotius in egregio Opere de veritate Religionis Chriſtianæ, Univerſum a Deo regi probaturus, id præſertim ex mutatione Imperiorum oſtendebat, ſcribens: *Divina Numinis cura evidentius etiam ſpectatur ubi Deo viſum eſt mutare Imperia. Nam quibus ille tum ad eam rem tamquam ſibi deſtinatam inſtrumentis utitur, puta Cyro, Alexandro, Caſare Dictatore, apud Tartaros Cingi, apud Sinenſes Namcaa: his omnia, etiam quæ ab humana prudentia non pendent, fluunt ſupra votum magis quam fert ſolita caſibus humanis varietas: quæ tanta eventuum ſimilitudo, & ad certum finem quaſi conſpiratio, indicium eſt providæ directionis* (6). Et ſane cer-

(6) *Lib. I. n.* 12.

certiſſimum quum ſit ſuprema providentia Mundum adminiſtrari, Deumque conſulere rebus humanis, ecquis ſingulari ejus voluntati non afferat Imperiorum mutationes, præſertim quum ſingularia ſemper dederit atque ſenſibilia ejuſmodi ſuæ voluntatis ſigna, quibus eas æterno fieri conſilio homines magis magiſque intelligerent? Propterea harum prædictione converſionum refertæ ſunt Sacræ Litteræ, quarum pene pagina non eſt a Geneſi ad Apocalypſim, quæ de illis non loquatur. Rotæ illæ, quæ in poſtrema hac cæleſti viſione memorantur, varias Mundi revolutiones, ut inquit Bochartus, & rerum vices deſignabant, atque ideo oculis ſcatebant, ut hæc ſciamus non cæco motu ferri, ſed ad certos dirigi fines, & per ſummam ſapientiam gubernari (7).

XI. Ethnici victorias Principum, ac Imperiorum, ut dicimus, revolutiones, ſuorum afferebant virtuti ac Numini Deorum: quo in errore lumen veritatis elucebat: confuſum ſaltem habere ſe oſtendentes cæleſtis directionis ejuſmodi in rebus ſenſum; feliciores ſi animadvertiſſent, in recte conſtituto terrarum Orbe nihil extra conſuetum rerum ordinem, & contra communes humanæ ſapientiæ leges, niſi ſummi, ſupre-

(7) *Hieroz. Lib. III. cap. VI. n. 3.*

mique Rectoris arbitrio ſolere fieri ac poſſe. Iiſdem adhuc tamen erat perſuaſum, niſi præcedente ſenſibili aliquo, manifeſtoque indicio & ſigno, tales Imperiorum viciſſitudines numquam evenire. *Qua nocte Templum Epheſiæ Dianæ deflagravit*, ſcribebat Marcus Tullius, *eadem conſtat ex Olympiade natum Alexandrum, atque ubi lucere cœpiſſet, clamitaſſe Magos peſtem & perniciem Aſiæ proxima nocte natam* (8). Scatent præcedentibus ejuſmodi oſtentis populorum omnium, omniumque gentium Hiſtoriæ, quæ tam frequenter, tamque conſtanter non fuiſſent a mortalibus animadverſa, ſi humano tantum conſilio, aut humana modo virtute atque arte, Imperiorum mutationes atque everſiones evenire creditum fuiſſet. Sed ea niſi umbræ ac tenebræ non erant ad eam comparate lucem, qua Sancti Dei homines ſacrorum ope Oraculorum fuerunt illuſtrati. Quam bene Sanctus Hieronymus de victoriis Cyri verba faciens ſcribebat: *Ego, ait Dominus, & non eſt alius extra me. Et hæc feci ut ab Oriente & Occidente omnis Orbis agnoſcat, nullum eſſe alium abſque me Deum* (9). Quod ut rudioribus quoque eſſet manifeſtum, ſenſibilibus ſignis & Oraculis ea quæ futura erant præmonſtravit.

XII.

(8) *Lib. de Divin. I. n.* 25.
(9) *Lib. XII. Comment. in Iſaiam ad cap.* 45.

XII. Quum itaque jam tandem adveniſſet tempus, quo evertendum erat, per Macedonem, Perſarum Imperium, ea de re monitum voluit Deus in ſomnis Regem, quo intelligeretur, non futuram fore niſi Divina ope & virtute tantam illam rerum converſionem. Ejuſmodi tamen Regis ſomnium nec tanti momenti, nec tantæ fuiſſet efficaciæ, niſi ſomnium Jaddi veluti cum priore illo conjunxiſſet Deus: quæ duo ſomnia in unum collineantia ſcopum & effectum, portentum ac miraculum efficiunt. Ob ſomnium quippe Jaddo Pontifici immiſſum, hic cum Sacerdotibus & populo, cumque ornatu ſuo tam ſolemniter Macedoni occurrens, in cauſa fuit cur Rex ſomnii recordaretur ſui, unde pacificus evenit ingreſſus ejus Hieroſolyma, veri cultus Numinis, Oraculi ſignificatio; atque ita dum ſuum haberent veterum vaticinia Prophetarum complementum, in ſua fide ac Religione Judaicus populus magis magiſque eſſet confirmatus. Vix enim dici poteſt, quantum ejuſmodi ſenſibilia ſigna & oſtenta valeant ad animos humanos erigendos, divinamque ad vim & virtutem mortalibus manifeſtandam. Sic vaſa Hieroſolymitani Templi a Veſpaſiano & Tito capta, ut Hiſtoricus ſcribit, & a Genſerico Vandalo Roma inter alia ſpolia in Africam delata,

& per multas Romanorum & Vandalorum Principum familias vagata, omnibus poſſeſſoribus vindicatis, everſiſque, non antequieverunt, quam Vandalorum Imperio deleto Beliſarii ductu, captoque Gilimere poſtremo ejus gentis Rege, Juſtiniani Auguſti juſſu Hieroſolymam ſunt relata, nobiliſſimo triumpho poſt tot ætates de Religionis hoſtibus, ſuiſque violatoribus pacto.

XIII. Harum viciſſitudinum vinculum & nexum pauci fateor percipiunt, quia neque in complexiones earum, neque in divinam earum directionem animum intendunt. Certum quippe eſt, eum ſemper in tenebris futurum, qui, ubi de maximis præſertim agitur rerum, gentiumque & populorum mutationibus & vicibus, in ipſa quam præſeferunt perturbatione, a Deo tamen ſapientiſſime diſpoſitis, humana a Divinis ſejunxerit ac diſſociarit; neque futurum arbitramur, ut ea mirifice conjuncta eſſe aliquis intelligat, niſi ingrediatur in ſenſum Domini. Eſt enim Dominus Deus noſter, Deus exercituum, Deus ultionum Dominus, excelſus & terribilis, Rex magnus ſuper omnem terram, Rex magnus ſuper omnes Deos, qui judicans gentes in conſpectu ſuo commovet omnes inhabitantes Orbem. Ipſe eſt qui vivificat, & mortificat, qui hunc humiliat, & hunc exaltat, qui mittit bel-

lum,

by Google

lum, & creat pacem, qui armat creaturam ad ultionem inimicorum ſuorum, quorum Regna & Imperia comminuens & projiciens ac diſſipans tamquam pulverem ante faciem venti, renovat faciem terræ. Juxta hunc ſenſum Bongarſius collectionem, quam edidit commentariorum de bellis ſacris in Syria ac Palæſtina perpetratis inſcripſit: *Geſta Dei per Francos*. Cui ſane appellationi quiſquis applaudere deberet. Quamvis enim non ſemper proſpera fuerint illa bella, neque ſtabiles pepererint Orientalium regionum occupationes, attamen expeditiones illæ bellicæ, ſive potius migrationes talem ac tam opportunum apud nos rerum reſtaurationi locum præbuere (prævio in ſtatu, & in illa exundanti corruptiſſimorum hominum colluvie minime futurum), ut earum effectus celebrare coacti demum illi ipſi ſint, qui prima facie declamandum ſibi adverſus illa bella ſuſceperunt.

XIV. Neque heic tamen omittenda eſt veterum aliquot Scriptorum cogitatio. Theodoretus in egregiis illis ſuis Orationibus de Divina providentia, frequentem Ethnicorum cum Judæis fuiſſe tandem uſum animadvertens, illum Divino adſcribendum conſilio, voluntatique exiſtimavit, quo vera notitia Dei eo pacto ad cognitionem Gentilium perveniret, eoſque ab idololatria demum

avocaret. " Vide igitur, inquiebat, ut om-
" nium hominum ſemper curam habuerit
" ſua providentia ſummus ille omnium Crea-
" tor; non eorum modo qui genus ex Abra-
" ham ducebant, ſed omnium qui ex Adam
" ſunt: & per unam gentem omnes gen-
" tes ad Dei cognitionem perduxit. Nec
" modo quum pietatem ſectarentur, horum
" doctrinam omnibus obtulit, verum etiam
" quum iniquitatis pœnas ab ipſis exige-
" ret." Quippe Nabuchodonoſorrem illum
&c. *ἄθραι τοιγαροῦν, ὅπως ἁπάντων ἀνθρώπων ἀεὶ προυνόησε τῶν ὅλων ὁ ποιητὴς κ. τ. λ.* (10) Illud vero quod generatim ex actionibus, quæ intercedere frequentius cœperant Judæos inter atque Ethnicos, intulit Theodoretus, ſingillatim & clare magis ex Alexandri facto colligendum cenſuit Coſmas Monachus, ab Indica navigatione dictus Indicopleuſtes, qui, Juſtiniano imperante, Chriſtianam ſcripſit Topographiam, & cujus hæc ſunt verba: *Providit Deus ne vel ipſi Gentiles teſtimonio ſui carerent: ſed ipſis bona impertiit, ac proſpexit vel ante Chriſti adventum, quadringentis circiter aut plus annis, ſub Alexandro Macedone, longe poſt Trojanum bellum, Græcis tunc florentibus, tunc ſcilicet illis bonitatis ſuæ indicia præbuit:*

exem-

(10) *Orat. X. de Providentia.*

exempli cauſa, quum Alexander Macedo Darium debellaturus Jeroſolymis tranſiret, ſummum Sacerdotem Judæorum, ſacerdotali habitu ſibi occurrentem, equo deſiliens perhumaniter amplexus eſt. Quum autem clientes ejus ipſum increparent, ac cur ita ſe gereret dictitarent, ad ſui excuſationem ille reſpondit: mihi ex Macedonia primum proficiſcenti, ſimili habitu quiſpiam in ſomnis viſus eſt, qui dicebat: exi & vinces. Quamobrem ipſe poſtea Deo ſacrificia immolavit, multaque dona Templo & Judaicæ regioni obtulit. αὐτὸς ἀπολογούμενος ἔφη, ἐξ ἀρχῆς ἐν τῇ Μακεδονίᾳ ἐξερχομένου μοῦ τοιούτῳ σχήματι φόρῶν ὤφθη μοί τις κατ' ὄναρ, ὅς ἔλεγεν, ἔξελθε καὶ νικῆς. ὅθεν λοιπὸν καὶ αὐτὸς θυσίας ἔθυσε τῷ Θεῷ, καὶ πολλὰ δῶρα προσήνεγκεν εἰς τὸν ναὸν, καὶ τῇ χώρᾳ τῶν Ἰουδαίων πολλὰ ἐχαρίσατο (11). Ceteros autem inter proſperos effectus ex fœdere Jaddum inter & Macedonem profectos, haud poſtremus ille fuit, quo magnam Judæorum partem in Ægyptum immiſit, novæque dominatricis Urbis eos non modo incolas, ſed cives eſſe conſtituit conditor illius Rex. Inſtituta igitur illic frequentiſſima Judæorum Synagoga, non potuit eadem diu ſacris carere Litteris ſermone patrio conſcriptis; quare illæ, maximo humani generis

N 5 emo-

(11) *Lib. XII. Chriſtian. Topograph.*

emolumento, Græcam in linguam verſæ ſunt. Quumque per Macedonis victorias magis adhuc quam per antiquiores Græcorum colonias, aut per auxiliares eorum copias in exercitibus Perſarum, Græcus ſermo fuerit per Orbem propagatus, heinc facilior reddita Librorum veteris Teſtamenti lectio, quæ præparatio idonea omnino fuit ad eos ad verum cultum excitandos, qui ſplendidiorem erant demum lucem accepturi.

XV. Ejuſmodi itaque humanorum eventuum cum Oraculis divinis nexus, eaque tot contingentium complexio rerum, quæ in Profectione Alexandri Hieroſolymitana acciderunt, eam conſtituerunt factum ingens, mirificum, memorandum & excelſum: quo ſub aſpectu, & in qua complexione conſideratum, neminem futurum arbitramur, qui Vindiciis dignum non exiſtimarit. Et vero quammaxime dolendum, contingere tam ſæpe, ut dum nos objectorum partes ſolitarie acceptas tantum conſideramus, nec earum complexionem animadvertimus, ipſa nos fugiant objecta, hiſtorica præſertim, quorum, ut ita dixerim, anima & ſpiritus in complexione rerum totus eſt. Heinc ſatis numquam immortalis laudabitur Boſſuetus, qui quotquot tam ex ſacra, quam profana ex Hiſtoria colliguntur Imperiorum Populorumque muta-

tationes & converſiones, ſub dominatrici directione Dei incidiſſe, earumque complexione in unum collimaſſe ſcopum animadvertens, egregium illud Commentarium univerſam complectens Hiſtoriam ab Orbe condito ad Carolum Magnum elucubravit ac perfecit, quod tanto majorem attulit, creabitque ſemper utilitatem, quanto non ſingula quæque, ſed ipſam rerum ſeriem, atque eventuum ſummam, & principium, & ſpiritum, & divinum ordinem, & ſcopum unico intuitu videmus: probe Vir maximus intelligens, neque ſingulis lucem ſuam & pulchritudinem fore unquam ut conſtaret, niſi totius ſyſtematis veluti unius ædificii rationem atque ideam animo informaris:

Tantum ſeries, junEturaque pollet.

XVI. Tam ſublimem tamen cogitandi rationem ab omnibus non poſtulamus, contenti, ſi, ut divina ſe dant prodigia neque rejiciantur, neque ab iis infirmentur, quibus accepta eſſe quammaxime deberent, quum eadem vel ipſos in admirationem rapuerint Gentiles. Et ſane, prælium, victoriamque Alexandri apud Iſſum narraturus Arrianus, poſt adductum ſalubre Amintæ conſilium, quo monebatur Darius ut in

apertis

apertis Aſſyriæ campis ob loci amplitudinem, multitudini Perſarum atque impedimentis percommodam, hoſtem expectaret; deteriorem vero ſententiam apud Darium viciſſe animadvertens, ita prudenter proſequutus eſt: *Ac fortaſſe Deus aliquis illum eo loci adduxit, ubi nec equitatus magno uſui eſſe poſſet, ut nec infinita hominum pariter & jaculorum, ac telorum multitudo; ſed nec ipſam quidem exercitus magnificentiam oſtendere poterat; ſed Alexandro facilem omnino victoriam præbebat. Oportebat enim Aſiæ Imperium Perſis a Macedonibus adimi, quemadmodum Perſæ Medis, & prius Medi Aſſyriis ademerant.* καὶ τι καὶ δαιμόνιον τυχὸν ἦγεν αὐτὸν εἰς ἐκεῖνον τὸν χῶρον, ὃ μήτε ἐκ τοῦ ἵππου πολλὴ ὠφέλεια αὐτῷ τῶν τε καὶ τοξευμάτων, κ. τ. λ. (12). Solem certe e mundo detrahat neceſſe eſt, qui de rebus humanis Religionem expunget: neque minor confuſio erit rerumque perturbatio, quam ſi in altiſſimis tenebris vita tranſigatur. Mirum autem eſſe prorſus debet, ut, dum Arrianus, ethnicus ſane Scriptor, ea, quæ in Perſica Alexandri Expeditione nec ſolito nec expectato evenerunt modo, arcanæ illi tribuit Virtuti, quæ rerum vices temperans, Gentes & Imperia transfert ac Regna;

(12) *Lib. de Exped. Alexand. II.*

gna; aliqui haud deſint, qui Chriſtianum ſequi ſe Dogma profitentes; ſi quid prodigii tamen ad Religionem ſpectans illa in Expeditione probatis etiam ab Scriptoribus narretur, omnem dent operam, ut illud leviſſimis conjectationibus labefactent, ac negent.

FINIS

APPROBATIONES.

NOS FR. ANTONINUS BREMOND

Sacræ Theologiæ Profeſſor, ac totius Ordinis Prædicatorum humilis Magiſter Generalis, & Servus.

QUum R. P. Lector Fr. Caſtus Innocens Anſaldi Provinciæ noſtræ utriuſque Lombardiæ prælo ſubjicere cupiat Librum, cui titulus: *De Profectione Alexandri Hieroſolyma*; harum ſerie, noſtrique auctoritate officii, quantum in nobis eſt, & ſervatis alias ſervandis, paterne indulgemus; dummodo ab A. R. P. Magiſtro Exprovinciali Fr. Henrico Aſperti, & A. R. P. Magiſtro Fr. Joſepho Maria Caccia ejuſdem Provinciæ, luce dignus judicetur, eorumque cenſorio in ſcriptis calculo approbetur. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen. In quorum fidem &c. Datum Romæ in noſtro Conventu Sanctæ Mariæ ſuper Minervam die 23. Decembris 1750.

Fr. ANTONINUS BREMOND
Magiſter Ordinis.

Regiſtr. p. 20.

Fr. Joseph Thomas Tavella
Magiſter, & Socius.

Nos ſubſcripti, juſſu Reverendiſſimi P. Antonini Bremond Magiſtri Generalis Ordinis Prædicatorum, legimus, & expendimus Librum inſcriptum: Catti Innocentis Anſaldi O. P. *De Profectione Alexandri Hieroſolyma*, eumque ad Religionis Chriſtianæ, noſtrique Ordinis decus in lucem edi poſſe cenſemus. Ita eſt

Bergomi ad Ss. Bartholomæi & Stephani XVIII. Kal. Februarii MDCCLI.

Fr. Henricus Asperti O. P. S. Theol. Magiſter Exprovincialis.

Fr. Joseph Maria Caccia O. P. S. Theol. Magiſter.

IMPRIMATUR.

F. Vincentius Maria Carràs Ord. Prædic., S. T. M. Vic. Gen. S. Off. Taurini.

V. Joſeph Tempia Coll. Theol. Præſes.

V. Se ne permette la ſtampa.

GALLI per la Gran Cancelleria.

OPERA LATINA

AUCTORIS.

Patriarchæ Joſephi, Ægypti olim Proregis, Religio a criminationibus Baſnagii vindicata. Neapoli excudebat Felix Carolus Moſca. 1738.

Iterum Tomo XXIII. Collectionis Calogerianæ p. 135. *Venetiis apud Simonem Occhi.* 1741.

Iterum Brixiæ apud Johannem Baptiſtam Boſſinum. 1747. *in* 8.

De inopia veterum Monumentorum pro copia Martyrum dignoſcenda adverſus Dodvvellum Diſſertatio. Mediolani apud Joſephum Ricchinum Malateſtam. 1740. *in* 8.

De Martyribus ſine ſanguine altera adverſus Dodvvellum Diſſertatio. Mediolani apud Joſephum Ricchinum Malateſtam. 1744. *in* 8.

Hæc & ſuperior Diſſertatio ſimul editæ fuerunt Venetiis, typis Petri Valvaſenſis. 1756. *in* 4.

De traditione Principiorum Legis Naturalis Libri III. Mediolani apud Joſephum Ricchinum Malateſtam. 1742. *in* 4.

De Romana Tutelarium Deorum in Oppugnationibus Urbium Evocatione Liber ſingularis. Brixiæ typis Johannis Mariæ Rizzardi. 1743. *in* 8.

Iterum Venetiis apud Petrum Valvaſenſem. 1753. *in* 8.

Iterum Venetiis apud eumdem. 1761. *in* 8.

Iterum Oxonii e Typographæo Clarendoniano. 1765.

De forenſi Judæorum Buccina Commentarius. Brixiæ excudebat Johannes Maria Rizzardi. 1745. *in* 8.

Iterum Tomo XXVII. Theſauri Antiquitatum Sacrarum Ugolini. Venetiis. 1763.

Herodiani Infanticidii Vindiciæ. Accedit Diſſertatio de Loco Johannis aliter atque habet Vulgata a nonnullis Patribus lecto. Brixiæ apud Johannem Mariam Rizzardum. 1746. *in* 4.

De Authenticis Sacrarum Scripturarum apud Sanctos Patres Lectionibus ad Benedictum XIV. P. M. Libri II. Veronæ apud Auguſtinum Carattoni. 1747. *in* 4.

De futuro ſæculo ab Hebræis ante captivitatem cognito adverſus Johannem Clericum Commentarius. Mediolani in Regia Curia. 1748. *in* 8.

De Diptyco Quiriniano Epiſtola ad Cardinalem Angelum M. Quirinum Tomo XL. Collectionis Calogerianæ p. 187. *Venetiis.* 1748.

De Diptyco Quiriniano Epiſtola ſecunda ad Cardinalem Angelum M. Quirinum. Brixiæ apud Jacobum Turlinum. 1749. *in* 4.

Iterum Tomo XLII. Collectionis Calogerianæ. P. 237.

De Iarſenſi Hercule in viridi Jaſpide inſculpto ad Cl. V. Albertum Mazzolenum Abbatem Caſinenſem Epiſtola. Brixiæ apud Jacobum Turlinum. 1749. *in* 4.

Oratio habita in Athenæo Ferrarienſi, dum publici Sacræ Theologiæ Profeſſoris munus auſpicaretur Anno MDCCL. Ferrariæ apud Joſephum Barberium.. 1750. *in* 4.

Oratio habita in Athenæo Ferrarienſi Anno MDCCLI. Ferrariæ apud Joſephum Barberium. 1751. *in* 4.

Oratio in Athenæo Ferrarienſi habita Anno MDCCLII. Venetiis apud Simonem Occhi. 1752. *in* 4.

De Baptiſmate in Spiritu Sancto & Igni Commentarius Sacer Philologico-Criticus: cui accedunt Orationes duæ in Ferrarienſi Athenæo habitæ. Mediolani in Regia Curia. 1752. *in* 4.

De Sacro & Publico apud Ethnicos Tabularum pictarum cultu . Venetiis apud Petrum Valvaſenſem . 1753. *in* 4.

Iterum ornat. & auct. Auguſtæ Taurinorum in Regio Typographæo . 1768. *in* 4.

Oratio Ferrarienſi in Athenæo habita in Dedicatione publicæ Bibliothecæ Anno MDCCLIII. Ferrariæ apud Joſephum Barberium . 1753. *in* 4.

Vindiciæ Maupertuiſianæ ab animadverſionibus Viri Cl. Franciſci M. Zanotti , quibus quantum Philoſophiæ Morali Stoicorum præſtet Religio in infelicitate vitæ minuenda demonſtratur . Venetiis apud Petrum Valvaſenſem . 1754. *in* 4.

De Theurgia , deque Theurgicis Ethnicorum Myſteriis a Divo Paulo memoratis , Commentarius . Mediolani ex Typographia Societatis Palatinæ in Regia Curia . 1762. *in* 8.

Multitudo maxima eorum , qui prioribus Eccleſiæ ſæculis Chriſtianam Religionem profeſſi ſunt adverſus Davidem Clarkſonum , alioſque , qui illos exiguo fuiſſe numero conſtituunt , oſtenſa & vindicata . Auguſtæ Taurinorum in Regio Typographæo . 1765. *in* 8.

De Profectione Alexandri Hieroſolyma . Taurini typis Franciſci Antonii Maireſſe . 1780. *in* 8.

OPERA ITALICA.

Difeſa del Signor di Maupertuis dalle Cenſure del Signor Dottore Franceſco Maria Zanotti, tradotta dal latino del Padre Caſio Innocente Anſaldi in linguaggio Italiano da Lorenzo Dotighi Ferrareſe. In Venezia appreſſo Pietro Valvaſenſe. 1756. *in* 4.

La medeſima ſi trova nel Tomo I. della Raccolta di Trattati di diverſi Autori, concernenti alla Religion naturale, ed alla morale Filoſofia de' Criſtiani, e degli Stoici.

Lettera del Padre Caſio Innocente Anſaldi al Signor Dottore Franceſco Maria Zanotti, in riſpoſta ai tre Diſcorſi da queſt' ultimo ſtampati contro la Difeſa del Signor di Maupertuis. Venezia appreſſo Pietro Valvaſenſe. 1755. *in* 8.

La medeſima ſi ritrova nel Tomo II. della Raccolta di Trattati di diverſi Autori ec.

Della neceſſità, e verità della Religione naturale e rivelata, Ragionamento del Padre Caſto Innocente Anſaldi. Venezia appreſſo Pietro Valvaſenſe. 1755. *in* 8.

Della Speranza, e della Conſolazione di rivedere i Cari noſtri nell' altra vita, Trattato del Padre Caſto Innocente Anſaldi. In Torino nella Stamperia Maireſſe. 1772. *in* 8.

Saggio intorno alle Immaginazioni e alle Rappreſentazioni della Felicità ſomma. In Torino nella Stamperia Maireſſe. 1775. *in* 8.

Riſleſſioni ſopra i mezzi di perfezionare la Filoſofia morale. In Torino nella Stamperia Maireſſe. 1778. *in* 8. *grande.*

VAA 1540525

ERRATUM	CORRIGE
Pag. 39. *lin. ult.* Judæam	Indiam

Google